DE LEONIDA TARENTINO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

BERNHARDUS HANSEN
LIPSIENSIS

WEIDAE THURINGORUM
TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT
MCMXIV

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

Bethe et Heinze.

Lipsiae, a. d. III. Kal. Dec. a. MCMXIII.

procancellario
Kirchner.

ERICO BETHE

Index librorum.

Geffcken (G.), Leonidas von Tarent. 23. Suppl. d. Jahrb. 1896.

Numeri epigrammatum ad has editiones pertinent:
Stadtmueller, Anthologia Palatina. I, II 1, III 1. 1896 ff.
Jacobs, Anthologia Graeca. II, III. Lips. 1815, 1817.
Cougny, Anthologia Palatina. III. Paris 1890.

Numeri epigrammatum uncis inclusi ad has editiones pertinent:
Geffcken, Leonidas v. Tarent. 23. Suppl. d. Jahrb.
v. Wilamowitz, Bucolici Graeci. ed. altera Oxonii.
v. Wilamowitz, Callimachi hymni et epigram.³ 1907.

In paginis 69—70 notavi, quem locum Leonidae, Callimachi, Theocriti epigrammata in Anthologia tenerent.

Tabula argumenti.

Praefatio.

Numerus epigrammatum Leonidae Tarentini, quae anno 1896 Geffckenius diligenter edidit (Fleck. Ann. Suppl. XXIII p. 1—164), augetur et epigrammate dedicatorio, quod in papyro scriptum nuper repertum est (Pap. oxyr. IV 662), et epigrammate sepulcrali VII 662 Anthol. Palat., quod Leonidam composuisse me confirmaturum esse spero (cf. p. 66 sqq.). — Ut praecipue de artibus vocalibus Leonidae Tarentini dissererem, mihi proposui; qua in disputatione non modo argumentum sed etiam compositio epigrammatum atque collocatio verborum mihi tractanda est. Ut virtutes poetae cognoscantur, fieri non potest, quin Leonidae carmina cum epigrammatis et poetarum priorum et aequalium et eorum, qui Tarentinum imitati sunt, comparentur.

Opusculum viri docti Veniero (i poeti de l'Ant. Pal.) inspicere mihi non licuit, de rebus ad studia nostra pertinentibus disputavisse Veniero non videtur (cf. Bull. di filol. Class. XIII p. 124; Rev. di stor. ant. 1906 p. 138; Bursians Jahrber. 1907 p. 296 sq.). Mouquetius, qui Tarentini carmina in linguam Franco-Gallorum vertit (Les épigr. de L. de Tar. 1906 Lille), epigrammata Tarentini ab Alexandrini non distinxit; quamobrem Tarentini vitam in praefatione non recte describit.

Caput primum.

De Leonidae Tarentini aetate, vita, exemplis, ratione philosophica.

§ 1. De Leonidae aetate atque vita.

De aetate Leonidae Tarentini nusquam quicquam comperimus nisi e carminibus poetae. Nam nonnulla epigrammata ad res spectant, quae quando factae sint scimus. In VI 334 (53) Neoptolemus Aiacides naturam, Mercurium, Panem invocat atque orat, ut dona benigne accipiant. Ante annum 294 princeps Epirotarum, cui nomen Neoptolemus erat, a Pyrrho necatus est, (cf. Plut. Pyrrh. V *πυθόμενος ὁ Πύρρος ἐκεῖ μὲν ἡσυχίαν ἦγεν, ἐν δὲ θυσίᾳ καλέσας ἐπὶ δεῖπνον τὸν Νεοπτόλεμον ἀπέκτεινεν.* — de anno cf. Beloch, Griech. Gesch. III 2 p. 103 sq.). Non est, quod epigramma ad illum principem pertinere negemus. Compositio carminis est simplex: invocationem (v. 1—4) dedicatio (v. 5—6) sequitur, in qua res dedicatae appellantur. Causam dedicationis Neoptolemus non affert, sed quare dedicatum sit etiam in inscriptionibus non semper indicatur (cf. Kaibel, epigr. Graeca. Berl. 1878, nr. 738, 743). Quia epigramma a forma usitata inscriptionum dedicatoriarum alienum non est, non habemus, quod Geffckenio assentiamur, qui epigramma demonstrativum esse arbitratur; id a poeta principi traditum esse puto; ante annum 294 igitur compositum est. — In VI 129, 131 (1, 2) Minervae arma dedicantur, quae Lucanis abrepta sunt. Quia homo Tarentinus versus fecit, arma in proeliis, quae Lucani cum Tarentinis commiserunt, expugnata esse probabilissimum est. Illi Tarentinos saepe bello persecuti sunt. Anno 303 Cleonymus a Tarentinis auxilio arcessitus est, qui tantas copias collegit, ut Lucani statim cum Tarentinis pacem facerent (Diodor XX 104

κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ταραντῖνοι πόλεμον ἔχοντες πρὸς Λευκανοὺς καὶ Ῥωμαίους ἐξέπεμψαν πρεσβευτὰς εἰς τὴν Σπάρτην αἰτούμενοι βοήθειαν καὶ στρατηγὸν Κλεώνυμον . . . ἁδρᾶς οὖν δυνάμεως περὶ αὐτὸν οὔσης οἱ μὲν Λευκανοὶ καταπλαγέντες φιλίαν ἐποιήσαντο πρὸς Ταραντίνους). Non multo post (ante annum 295. — cf. Beloch, Griech. Gesch. III 1 p. 210) Tarentini ab Agathocle petiverunt, ut se adiuvaret (Strabo VI 280: *καὶ γὰρ τὸν Μολοττὸν Ἀλέξανδρον μετεπέμψαντο ἐπὶ Μεσσαπίους καὶ Λευκανούς, καὶ ἔτι πρότερον Ἀρχίδαμον καὶ Ἀγησίλαον καὶ ὕστερον Κλεώνυμον καὶ Ἀγαθοκλέα, εἶτα Πύρρον, ἡνίκα συνέστησαν πρὸς Ῥωμαίους.*). Postquam Agathocles in Magna Graecia rem bene gessit, Lucani Tarentinis bellum inferre desiisse videntur. Utrum epigrammata Leonidae ad expeditionem Agathoclis an ad bellum Cleonymi spectent, non apparet; fortasse etiam post annum 295 composita sunt, quia leviora proelia, quae nobis tradita non sunt, inter gentes turbulentas accidisse possunt. Versus ante annum 280, quo Lucani pugna ad Heracleam commissa ad Pyrrhum transierunt, factos esse constat. — In IX 25 (44) Leonidas Aratum celebrat, quia stellas, quas Juppiter creavit, lucidiores reddidit. Librum, qui inscribitur *Φαινόμενα,* iussu Antigoni Gonatae compositum esse his locis traditur: *ἐκείνου* (sc. *Ἀντιγόνου*) *κελεύσαντος ἔγραψε τὰ φαινόμενα . . . τὴν δὲ τῶν φαινομένων ὑπόθεσιν παρέβαλε αὐτῷ ὁ Ἀντίγονος* (vita Arati III. ed. Westermann); *προετράπη ὑπ' αὐτοῦ* (sc. *τοῦ βασιλέως*) *τὰ Φαινόμενα γράψαι* (vita 1), hanc memoriam ad falsarium reduxit E. Maass (Aratea p. 237), tamen veritatem quandam subesse Wilamowitz (Gött. Nachr. 1894 p. 198) probavit. Quia Aratus non ante 276 apud regem moratus est, et poema Arati et epigramma Leonidae post annum 276 compositum est. In ceteris epigrammatis Leonidae nihil invenitur, quod ad aetatem poetae pertineat. Poeta igitur et ante annum 295 et post annum 276 versus fecit.

Accuratam imaginem vitae poetae exprimere non possumus. Praeter nonnulla carmina Tarentini ep. VII 715 adhibendum est, quod Leonidam composuisse Jacobsius recte negavit. In illo carmine, quod formam tituli sepulcralis Leonidae habet,

legimus poetam Tarenti natum procul a patria sepultum esse atque vitam vagam degisse:

πολλὸν ἀπ' Ἰταλίης κεῖμαι χθονὸς ἔκ τε Τάραντος
πάτρης· τοῦτο δέ μοι πικρότερον θανάτου.
τοιοῦτος πλανίων ἄβιος βίος·

Se diu peregrinatum esse poeta ipse affirmare mihi videtur, quod in VII 736 (91) nos monet, ne vagemur, etiamsi nihil aliud possideamus nisi casulam atque tenuissimum victum. Leonidam pauperrimum fuisse in VI 300 (91) et in VI 302 (95) legimus:

VI 300, 1 *Λαφρίη, ἐκ πλανίης ταύτην χάριν ἔκ τε πενέστεω*
κἠξ ὀλιγησιπύου δέξο Λεωνίδεω.
302, 1 *Φεύγεθ' ὑπὲκ καλύβης, σκότιοι μύες· οὔτε πενιχρὴ*
μῦς σιπύη βόσκειν οἶδε Λεωνίδεω.

Eum ante annum 295 in Epiro apud Neoptolemum moratum esse iam e VI 334 (53) collegimus. Ad senectutem venit, nam in VI 300, 3 legimus:

αὐτάρκης ὁ πρέσβυς ἔχειν ἅλα καὶ δύο κρῖμνα.

Leonidas igitur, qui vitam vagam degit, ne in senectute quidem e mendicitate emersit.

§ 2. De exemplis Leonidae Tarentini.

Leonidae multos poetas exemplo fuisse omnes viri docti, qui de poeta verba faciunt, putant. Tarentinum vestigia Asclepiadae Samii praecipue in epigrammatis ad naufragos pertinentibus secutum esse G. (p. 133) scribit. In Leonidae epigrammate VII 283 (3), quod Geffckenio imprimis argumento est, naufragus, qui mortuus in litore prope mare situs est, queritur, quod a mari non in terram iactus est, ubi undis vicinus non esset. Cur optet, ut procul a mari situs sit, naufragus accurate non explicat. Sed hanc sententiam supplendam esse puto: Naufragus timet, ne mare, quod vivo iam maximam iniuriam fecit (v. 1 *οἰζυρὰ παθόντα*), etiam mortuo nocere possit; veretur enim, ne sepulcrum ab undis deleatur. Quamobrem mare voce *τετρηχυῖα θάλασσα* (mare turbulente)

alloquitur. Tarentinus hoc in carmine componendo Asclepiadae epigrammate VII 284 usus esse dicitur. Apud Samium naufragus in priore disticho a mari petit, ut a se cedat atque procul strepat saeviatque; in altero disticho censet mare, si usque ad sepulcrum veniat, nihil inventurum esse nisi cinerem. Hoc in carmine quoque mortuo vicinia maris non placet:

ὀκτώ μεν πήχεις ἄπεχε, τρηχεῖα θάλασσα,
καὶ κύμαινε, βόα θ' ἡλίκα σοι δύναμις.

Ex his verbis colligo mortuo viciniam maris ex ea causa odio esse, quia strepitus undarum otium suum perturbat. Quia timet, ne mare precibus non cedat, ei persuadere studet inutile esse usque ad sepulcrum progredi. Nam mare nihil inventurum esse nisi cinerem dicit. Me carmen Asclepiadae Samii recte interpretatum esse e VII 267 Poseidippi elucere mihi videtur. Apud eum naufragus mortuus nautas ita alloquitur: Cur me prope mare sepelivistis? Me procul ab undis sepeliri opus erat, nam strepitum maris odi, tamen vobis gratias habeo. Apud Poseidippum igitur, cui Samium hoc in carmine quoque exemplo fuise constat, naufragus dilucide explicat se propter strepitum viciniam maris vitare voluisse. Apud Leonidam autem neque ullum verbum de strepitu undarum neque alteram sententiam, quam apud Samium scriptam tenemus (mare nihil inveniet nisi cinerem), legimus. Quamobrem Leonidae epigramma Asclepiadae exemplo fuisse nego. — In ceteris carminibus Leonidae, quae ad naufragos pertinent, sententias invenimus, quas apud Asclepiadam quoque legimus; neque vero confirmari potest Leonidam Asclepiadae carminibus usum esse. Veluti in VII 500 Samii Euippus a viatore petit, ut Melesagorae patri mortem filii nuntiet; una cum mercibus se aquis submersum esse neque quicquam nunc restare nisi nomen mortuus narrat. In Leonidae VII 652 (4) 654 (5) 273 (6) similem sententiam habemus, nam mortuum non sub lapide, sed in mari situm esse legimus. Cum Tarentino Samius non exemplo fuerit, concluserim Callimachum in VII 271 (17) carmine Asclepiadae usum esse (VII 271, 3, 4 *ἀντὶ δ' ἐκείνου οὔνομα καὶ κενεὸν σῆμα παρερχόμεθα* VII 500, 4 .... *Εὐίππου δ' αὐτὸ λέλειπτ' ὄνομα*). —

Deinde Leonidam in VII 13 (24) componendo VII 11 Samii adhibuisse G. putat; sed epigrammata, quae de Erinna sunt, et in forma et in argumento longe distant; carmen Leonidae se titulum sepulcralem, epigramma Asclepiadae se titulum libri esse simulat. Ille narrat: poetria, quam Pluto secum abduxit, haec verba fecit: Invidus es, o Pluto; apud hunc liber dicit se parvum sed gravem (*δυνατώτερον πολλῶν ἑτέρων*) esse neque nomen poetriae, si diutius vixisset, umquam superari potuisse. Utrum Asclepiades an Leonidas prior epigrammata in scriptores illustres aut in artificia composuerit, diiudicari non potest. Itaque Geffckenio assentiendum non est, quod Tarentino Samium exemplo fuisse scribit.

Descriptionem naturae Anyte prima, quod sciamus, in epigrammata inducit. Nam praecipue epigrammatis IX 313, 314 XVI 228, ubi viator admonetur, ut e fonte bibat atque se reficiat, et epigrammate XVI 231, in quo Pan interrogatus, quamobrem in silva umbrosa solus tibia caneret, gregem non procul pasci respondet, is qui legit commovetur, ut carmina partes bucolicae poesis putet. Quod epigrammatum genus multis poetis imitationi fuisse Reitzenstein (Epigramm u. Skolion, Gießen 1893 p. 123 sqq.) argumentis recte confirmavit. In epigrammata naturae descriptionem inserere poetae hellenistici non dubitabant. Veluti in Leonidae epigrammate X 1 (50) Priapus, qui nautis suadet, ut vere mare transvehantur, accurate exponit, quomodo ver in conspectum veniat (v. 1—6). Tarentinus, cum in illo carmine nullum certum poema Anytae imitaretur, in IX 326 (54) Anytae XVI 291 expressit. Apud Anytam Theudotus pastor Pani Nymphisque donum dedicat, quia solis ardoribus fessum aqua semper recreabant. Apud Leonidam Aristocles, postquam loca vicina salutavit, Nymphis fontis poculum dat, e quo sitim saepe explevit. In VI 334 (53) poeta exemplar dilatavit. Neoptolemus primum naturam (antra, lucum Nympharum, fontes, pinum), deinde Mercurium atque Panem invocat et ab omnibus petit, ut dona benigne accipiant. Leonidam in versibus 1—4 componendis verbis fragmenti vicesimi Simonidis Amorgini ubi legimus:

θύουσι Νύμφαις τῷ τε Μαίαδος τόκῳ
οὗτοι γὰρ ἄνδρων αἷμ' ἔχουσι ποιμένων

usum esse probabile non est, nam Nymphae saepissime una cum Mercurio appellantur (cf. Hom. ξ 435 sq. Soph. Oed. rex. 1104 sqq. Arist. Thesm. 977 sq. — cf. Preller-Robert, Gr. Myth. I, 2 p. 720 adn. 1, p. 724 adn. 1.). Anytae vestigia Leonidas secutus est.

Poetae hellenistici epigrammata de puerperis libenter composuisse videntur (cf. G. p. 51, 81); quamobrem et tituli sepulcrales et dedicatorii ficti sunt. In VI 200, 202 (45, 46) Leonidae mulieres deae partus singulas res vestium parturae felicis causa dedicant. Niciae ep. VI 270 Leonidae exemplum fuisse G. recte exposuit (p. 81). Nam apud Niciam vittae et ricae, quae ante deae pedes sitae sunt, dedicantur, quia dea mortem a muliere arcebat. In epigrammate VI 202 Leonidas rem simili modo tractat, cum in carmine praecedenti afferat, cur ipsae illae vestes deae donentur, nam in vestibus dedicatis partura facta est. Itaque ep. VI 202 fortasse prius quam VI 200 compositum est, quia exemplar accuratius exprimit; nam in primo versu utriusque carminis (VI 202, 270) res dedicatae enumerantur et in altero disticho causa dedicationis affertur. In quarto versu utriusque carminis id *ἀπ' ὠδίνων* eundem locum tenet. Quod ep. VI 200 prius compositum esse, quia verborum collocatio simplicior est, G. censet, mea quidem sententia iam in priore carmine VI 202 poeta studere poterat, ut exemplum quaesito verborum ordine superaret. — Leonidam in XVI 190 (47) quoque Niciam (XVI 188, 189) secutum esse G. putat (p. 81). In Tarentini carmine Morichus pastor narrat se statuam Mercurii collocavisse, ut deus capellas custodiret, deinde capellas vetat lupum in posterum timere. In XVI 188 Mercurius dicit sibi praesidi gymnasii pueros saepe coronas floreas afferre, in XVI 189 Pan, qui tecta apium custodit, fures admonet, ut locum evitent. Sententiam, quam in altero disticho Leonidae legimus:

ἀλλά μοι αἵ τ' ἀν' ὄρη χλωρᾶς κεκορεσμέναι ὕλας
τοῦ γ' ἁρπακτῆρος μή τι μέλεσθε λύκου

neque in 188 neque in 189 invenimus, sententia prioris distichi tam simplex est, quam poeta ipse invenire potuerit. Itaque Leonidae in XVI 190 componendo Niciam exemplo fuisse nego.

Leonidam in compluribus carminibus vestigia Callimachi secutum esse Wilamowitzius (Griech. Lit.[3] i. d. Kult. d. Gegenw. p. 217), Schmidius (Christs Griech. Lit. II 1, p. 118), Susemihlius (Griech. Lit. II 535 ann.), G., et alii viri docti putant. Illa epigrammata accuratius tractabo.

In epigrammate IX 507 (27) Callimachi Aratus cum Hesiodo comparatur. Cuius *σύντονος ἀγρυπνίη* a Ruhnkenio recte mutatum est in *σύμβολον ἀγρυπνίης*, viro docto assentior, quia in vocabulis *ἀγρυπνίαν* consonare posse nego. Extremis vocabulis Callimachus diligentissimam perpolitionem carminis laudat, etiam noctibus Aratum carmini operam dedisse suspicatus. Hoc carmen Leonidae in epigrammate IX 25 (44) componendo exemplo fuisse Diltheyus (Cydippe p. 11), Kaibelius (Herm. XXIX p. 120). G. putant. Leonidam non ipsum Arati *Φαινόμενα* legisse, sed non novisse nisi e Cyrenaei epigrammate Kaibelius inde colligit, quod illum et de stellis fixis et de sideribus errantibus verba fecisse Tarentinus scribit, quamquam Aratus *μετανάστας* cum ratione omittit. Leonidae carminis argumentum est hoc: Hic est liber Arati, qui *λεπτῇ φροντίδι* (quas voces imitationem arguere Diltheyus adnotat; apud Callimachum enim eadem in sede versus *λεπταὶ ῥήσιες* legimus) stellas et errantes et fixas describit; poeta, cuius carmen praedicandum est, nemini postponendus est nisi Iovi, quia stellas, quas ille procreavit, lucidiores reddidit. Leonidas igitur de argumento, Callimachus autem de forma poematis Arati disputat, de argumento Cyrenaeus nihil dicit; itaque fieri non poterat, ut Aratum de stellis errantibus disseruisse Tarentinus e carmine eius colligeret. Ut Leonidas e carmine Cyrenaei ita ille ex epigrammate Tarentini voces *λεπταὶ* (*ῥήσιες*) habere potest. Itaque Callimachi epigramma Leonidae exemplo fuisse nego, quia et Cyrenaeus de forma, Leonidas de argumento disputat neque Tarentinus id, quod de argumento carminis Arati censet, ex epigrammate eius hausisse potest neque e voce *λεπτός* quicquam colligendum est. Cum

Callimachus suum de Arato iudicium proferat, Tarentinus acuminis causa epigramma componere videtur, quamobrem Arati carmen sibi perlegendum esse non putavit. Nunc ad interpretationem generis dicendi, quae nimis neglecta est, transeam. Leonidas in altero disticho partes enuntiati aeque collocavit atque in primo, nam et in primo et in tertio versu caesura bucolica, quae in vocabulis similiter sonantibus legitur (*δαήμονος, ἀλήμονας*), enuntiatum relativum ab enuntiato principali separatur, in fine versuum pentametrorum verbum (*ἐφράσατο, ἐνδέδεται*), hexametrorum vox adiectiva (*λεπτῇ, ἐναργής*) invenitur. Et in VII 503 (10 cf. p. 31) et in IX 24 (21 cf. p. 31) Leonidas hoc artificio usus est, quod Callimachus nullo in epigrammate (nam in V 23 (63) et VII 519 (14) verborum ordo ut in versibus hexametris similis ita in pentametris diversus est) adhibet nisi in uno illo carmine in Aratum composito. Et in primo et in tertio Callimachi versu caesura bucolica enuntiatum, quod magni momenti est, a sequenti parvo enuntiato separatur, quod in primo vocabulo pentametri finem habet (*οὐ τὸν ἀοιδὸν* | *ἔσχατον. χαίρετε λεπταὶ* | *ῥήσιες*). Id vocabulum, quod dactylum explet, utroque in pentametro diaeresi a nova enuntiati parte seiungitur. Cyrenaeus Leonidam superare studuit, nam artificium, quod aliis in epigrammatis non invenitur, hoc in carmine adhibuit, sed verba similiter ordinare satis habuit atque artes vocales evitavit (cf. Leon. v. 1, 3 *δαῆμονος, αλῆμονας* in quarto pede!); deinde de forma Arati poematis, de qua Tarentinus verba non fecerat, disputavit; tum exposuit, quocum poeta Aratus comparandus esset, postremum eis *λεπταὶ ῥήσιες* Leonidae voces *λεπτὴ φροντίς* corrigere voluit, quia adiectivum, quod proprie attritum significat, ad vocabula melius quadrat quam ad animi attentionem. Quibus e causis Leonidae carmen Callimacho exemplum fuisse colligo.

In XIII 3 Theocriti (19) mali homines monentur, ne in Hipponactis sepulcro consideant, quia ille (ita supplendum est) quamquam mortuus malos semper devoveat. Hoc in carmine interpretando Leonidae ep. VII 408 (40) adhibendum esse vir doctissimus Jacobs iam adnotavit. Apud Tarentinum Hipponax

est μισάνθρωπος, qui omnibus hominibus male precatur, cum apud Theocritum neminem devoveat nisi malos. Timonem, cui homines odio fuisse satis notum est, Leonidas in VII 316 (39) tractat, id epigramma, cuius lemma est Λεωνίδεω ἢ Ἀντιπάτρου, vir doctus G. orationis causa Leonidae recte tribuit. Tarentinum in carminibus VII 316, 408 componendis epigrammatis Callimachi VII 317, 318 (4, 3) usum esse G. censet (p. 76). Nam VII 318 quoque Cyrenaeo est, a quo Wilamowitzius abiudicat (praef. edit. p. 16), quia auctor Hegesippi VII 320 exprimat; an sententia recta sit, G. iam dubitat. Nam in 320 Timon e sepulcro loquitur: Multis spinis sepulcrum meum circumdatur, quibus pes tuus, viator, si adeas, laeditur; sed praeteri; etiamsi lamentaris (sc. spinis laesus), praeteri. Timon in sepulcro quoque optat, ne quis sibi accedat. Itaque viatoribus pronuntiat sepulcrum spinis cingi atque sperat eos non adituros esse. Si vero illi ad sepulcrum appropinquant, eos spinos laedi Timon gaudet. (Non recte Bertram [D. Timonlegende, Diss., Heidelberg 1906, p. 25] de hoc epigrammate disputat.) In VII 318, cui epigramma tractatum exemplum fuisse Wilamowitzius censet, nullum vocabulum de spinis scriptum habemus, auctor carminis dicere vult: Timoni nihil refert, utrum viator eum salutet necne. Timon hoc in carmine homines nihil curat, nobilior, ut ita dicam, grandior est quam Hegesippi Timon, qui, quod hominibus spinis nocere potest, gaudet. Ad Timonem epigrammatis 318 nomen μισανθρώπου, quod ei proprium est, non quadrat. Itaque carmini 318 epigramma 320 exemplum non erat, quia in 318 neque spinae appellantur neque Timon ita descriptus est ut in 320 (ad Timonem Hegesippi commune cognomen aptum est); itaque epigramma 318 Callimacho tribuendum esse puto. (Idem censent Bertram p. 24 et Hauvette, Les épigrammes de Call. Rev. d. Etud. Grecques 1907, p. 308 sq.) Quod aliquis negat Cyrenaeum idem argumentum bis tractare, poeta de naufragis tria epigrammata (17, 18, 58) composuit, in quibus de eadem materia tam diverse disputat quam in 317 et 318; nam in 317 Timon est μισάνθρωπος, quia loca inferorum ex ea causa sibi odio esse dicit, quod ibi plures homines sint quam in terra.

Nomen Timonis Cyrenaeus in 318 omisit, quia eum qui legit non ignorare de quo ageretur putabat. (Itaque hac de causa carmen a Callimacho vir doctus Rannow (Berl. Philol. Wchnschr. 1912, p. 619) non recte abiudicat). Epigrammata 317 et 318 Leonidae et in carmine 39 et in 40 componendo exempla fuisse neque epigramma 39 intelligi posse nisi Callimachi epigrammatis adhibitis G. censet. Sed carminis 39 argumentum ab epigrammatum Cyrenaei materia valde distat. Nam apud Leonidam mortuus optat, ne viator viam ad finem perducat, sive salutationem dicat sive non det; apud Callimachum Timoni nihil refert, utrum homines salutem dicant necne, quia homines sibi neque prodesse neque nocere posse non ignorat. Apud Leonidam Timon cognomen suum recte habet, quia omnibus viatoribus male precatur atque quemquam exsecrationes suas effugere posse per ludibrium negat. Nomen Timonis poeta omisit, non quod ex epigrammatis Cyrenaei suppleri posset, sed quia mortuus non optat, ut viator a se nomen quaerat. Num postulari potest, ut nomen in carmine scriptum sit? Itaque Callimachum hoc in carmine exemplum fuisse nego, quia argumentum epigrammatum inter se distat. Leonidae epigramma 40 et in forma et in argumento a Callimacho rectum atque ductum esse G. putat. ‚Hipponax etiam in inferorum locis nocere scit' sententia principalis epigrammatis Tarentini est, quam neque apud Callimachum, ubi Timon nemini nocet, neque apud Hegesippum, ubi nihil detrimento est nisi spinae, legimus. Quamobrem Leonidas argumentum ex epigrammatis Cyrenaei haurire non poterat. In Callimacho fragmento 37a, e quo Leonidam nonnullas voces sibi sumpsisse Knaackius (Susemihl. Griech. Literaturgesch. II, p. 535) et G. persuasum tenent. Archilochi oris venenum a cane atque a vespa, cuius aculeus commemoratur, originem habere legitur. Apud Tarentinum autem Hipponax acerba vespa nominatur, neque de cane neque de aculeo vespae neque de veneno oris neque de origine veneni disputatur; quamobrem Leonidam Callimachi verbis hic usum esse nego, praesertim cum illud cognomen facile sua sponte in Leonidae opinionem venire posset. Praeterea apud

Aristophanem iam homines vespae nominantur, nam in Acharnensium versu 864 Dicaeopolis Boeotum atque servos eius, qui tumultantur, ita alloquitur: *οἱ σφῆκες οὐκ ἀπὸ θυρῶν;* Itaque Leonidas neque in forma neque in argumento utriusque epigrammatis carminibus Callimachi usus est, contra fortasse Callimachus Leonidam in 318 superare studuit, ubi Timon homines non iam devovet sed eos ita odit, ut eius nihil intersit, utrum salutem dicant necne. In carmine 317 quoque Timon nobilior est, quia nemini male precatur, cum apud Leonidam semper maledicat.

Leonidam in carmine VI 211 (41), cui Callimachi XIII 24 (38) exemplo fuerit, imitationem „bracteis confectis“ celare studere G. scribit (p. 77). Quamquam Callimachi poema in codicibus depravatum est, meretricem Veneri complures res, e quibus pictura meretricis, taenia, bacula (nam id *θάρσους* recte in *θύρσους* coniectum esse mihi videtur) intellegi possunt, dedicare apparet; neque causa dedicationis cognoscenda est neque constat, num ea *θύρσους* et *πᾶνον* (quod vocabulum poetam scripsisse e voce *πᾶνα* tradita Schneiderus colligit) cum cultu Bacchi coniungenda sint. Apud Leonidam Callicleia Veneri complures res, in eis taeniam, donat; dedicantem meretricem esse veri simile est neque vero a poeta dicitur; causam dedicationis e vocibus *ὧν ἤθελε τυχοῦσα* comperimus. Huic igitur epigrammati, in quo res eodem modo enumerantur atque aliis in carminibus dedicatoriis Tarentini, poema Callimachi exemplum fuisse nego. Nam et similitudo tam parva est, ut fortuita putanda sit (utroque in epigrammate puella Veneri res, in quibus taenia appellatur, dedicat) et Leonidas tot similia epigrammata (71—75, 78—84), in quibus Callimachum imitatus non est, composuit, ut hoc quoque solus scribere posset. Quod Leonidas in versu tertio scribit *μηλοῦχον ὑαλόχροα* (quae voces nescio an ‚bracteae confectae' sint), eam dictionem aeque ipse invenit atque in eodem carmine *τριχῶν σαγανευτῆρα* et in aliis epigrammatis multas novas voces; ad illas voces componendas poetae ea Cyrenaei (cf. secundam editionem Wilamowitzii), *ἡ μαστοὺς ἐφίλησε* (quae neque in codicibus leguntur et a vocibus

Leonidae aliquanto aliena sunt) opus non erant, praesertim cum in compositione eorum *τριχῶν σαγανευτῆρα* exemplo Callimachi careret. Itaque Leonidas Cyrenaei epigrammate non usus est. — Versibus 5—8 Leonidae epigrammatis VII 440 (43) carmen VII 415 Callimachi (35) exemplum fuisse Reitzensteinius (Epigramm u. Skolion, p. 87) affirmat et G. suspicatur. Leonidas Aristocratem, qui Charitibus valde placuit et omnium memoria custoditur (vv. 3—4), laudat, quod in populi contione supercilia non allevans eleganter locutus est atque in convivio urbane confabulatus est (v. 5—8). Extremo in disticho mortuum gloriatur, quod et cives et hospites libenter adiuvit. Mortuum et canendi peritum fuisse et in convivio lepide *συγγελάσαι* in Callimachi disticho legimus. Leonidam e brevi antithesi alteram partem plane omisisse, alteram valde mutavisse (loco *εὖ δ' οἴνῳ καίρια συγγελάσαι* legimus *ᾔδει καὶ Βάκχοιο παρὰ κρητῆρος ἄδηριν ἰθῦναι κείνην εὐκύλικα λαλιήν*) atque nova sententia (v. 9—10) auxisse probabile non est, praeterea illa dictio non tam inusitata est, quam Leonidas ipse invenire non potuerit; quibus e causis ei epigramma VII 415 Cyrenaei exemplum fuisse nego. Contra nescio an Callimachus Tarentini longum enuntiatum (imprimis inutili voce *ἄδηριν* omissa) minuerit atque sententiam poliverit. — Has singulas voces Tarentinum e Cyrenaei carminibus sibi sumpsisse G. affirmat. Id *μεθυπλήξ* (XVI 306, 5) e Callimachi fragmento 223, ubi de Archilocho disputatur, et ea *λίχνοισιν ἐπ' ὄμμασιν* (XVI 306, 3) e fragmento 107, ubi de amore puerili agitur, hausta esse dicuntur. Quia non apparet, quo anno illa vocabula a Callimacho scripta sint, ut Leonidae Callimachus ita ille Cyrenaeo exemplo fuisse potest; nam Tarentinus multas novas voces invenit. Res ita se habet, quod vocem *ποία* (cf. Call. fr. 182; Leon. VII 648, 4. Rhiani ep. a Pausania IV 17, 11 traditum, Diodori ep. VII 627, 5 Antiphili VI 252, 1) vel vocem *ἰχθοβολεύς* (Call. hymn. IV, 15 Leon. VII 504, 2) adhibemus. E communi sermone *Νύμφαι . . . (Δώρου) γένος* (Leon. IX 329, 1; Call. hymn. IV 109 *Νύμφαι . . . ποταμοῦ γένος*) nihil colligi posse G. iam cognovit. Epigramma VII 736 (91) ad Hecalam non spectare mox videbimus

(p. 23), epigramma VII 720 (76) cum eodem carmine comparandum non esse G. argumentis iam confirmavit. Itaque Callimachum Leonidae exemplum fuisse nullum in modum explicari potest; contra Cyrenaeus Leonidam in carminibus IX 507, VII 415 (318) superare studuit.

§ 3. De ratione philosophica.

Dedicatio in Leonidae carmine VI 293 (33) ad pannos attinet, quos puer amatus Socharis viri Cynici Veneri dat. Poema duo acumina habere G. docet, pauper vir Cynicus et pannis privatus est (v. 1—4) et in stuprum illectus est (v. 5—6 cf. imprimis verbum *ἤγρευσεν*). Quocum epigrammate carmen VI 298 (88) comparandum est, ubi fames tenues sarcinas Socharis virgultis suspendit. Socharem in virgultis fame perisse et viatorem aliquem, qui mortuum sepelivit, (proprie famen) vestes e virgultis suspendisse vir doctus Jacobs recte exposuit. Illa sententia extremo in hemistichio collocata poeta eos qui legunt intentos habet, cum eos omnia viri Cynici instrumenta antea cognoscere opus sit. Utroque in poemate poeta studet, ut pauperes Cynicos irrideat, quia et libidinibus indulgeant et fame pereant; quibuscum carminibus epigrammata VII 67 (94) VI 302 (95) comparanda sunt. In VII 67 Diogenes Charontem orat, ut se transvehat, quamvis mortui cymbam iam satis onerent. Nihil aliud secum portat nisi ampullam, peram, vestem, obulum; itaque se cymbam vix graviorem redditurum esse putat, quamquam omnia, quae in vita possidebat, ad inferos affert. Sine ira et studio poeta fabulam narrat, nullo verbo Diogenem laudat; poetam argumentum epigrammatis in scaena Menippea invenisse G. suspicatur (p. 126), sed illis locis, quos e dialogis Luciani vir doctus ad comparationem adhibet, vir Cynicus aut omnibus mortuis illudit (dial. mort. XXII 425: *οἷα δὲ καὶ ἐλάλει παρὰ τὸν πλοῦν τῶν ἐπιβατῶν ἁπάντων καταγελῶν καὶ ἐπισκώπτων*) aut a Mercurio valde laudatur (dial. mort. X 365 *ἔμβαινε ὦ Μένιππε ἀνδρῶν ἄριστε καὶ τὴν προεδρίαν παρὰ τὸν κυβερνήτην ἔχε ἐφ' ὑψηλοῦ ὡς ἐπισκοπῇς ἅπαντας*). Neque vero Diogenes in nostro carmine quemquam illudit; Charontem sedate alloquitur,

nullum in modum de se ipse praedicat. Itaque poeta neque argumentum e scaena Menippea sibi sumpsit neque cum Cynicis constitit. — Epigramma VI 302 (95) philosophicum G. arbitratur, quamquam Leonidam de se ipsum disputare non ignorat (Cynika u. Verwandtes, p. 5). Mures poeta alloquitur, qui misera in casula eius victum quaerunt, et admonet, ut aliam in domum se conferant, cum domi suae nihil reperiant. Epigrammati descriptionem vitae in peculiari forma compositam inesse persuasum teneo. Nam summam sententiam aliter intellego atque G. Vir doctus, qui poema cum locis e Laertio Diogene (VI 2, 40 *πρὸς τοὺς ἑρπύσαντας ἐπὶ τὴν τράπεζαν μῦς· ἰδού, φησί, καὶ Διογένης παρασίτους τρέφει*) et e Plutarcho citatis comparat, sententiam e fabula Cynica ortam esse censet, in qua narrabatur ad Diogenem murem accessisse, ut rumor iret *Διογένης τρέφει παρασίτους*. Cui sententiae vir doctus Pohlenz (Die hellenist. Poesie u. Philosophie. *Χάριτες* f. Leo, 1911), qui in p. 81 recte dicit: Die konventionellen Farben, in denen er die Armut malt, sind keineswegs ausschließlich kynisch, assentiri videtur, quod in p. 80 scribit: ein Apophthegma des Diogenes wird behandelt. Quomodo cum illa fabula epigramma cohaereat, intellegere non possum. Nam poeta dicit: apud me ne mures quidem quicquam inveniunt, quam sententiam e fabula Cynica ortam esse suspicari nolim, quia eum Cynicos duobus in epigrammatis irridere vidimus. Itaque poetam cum eis se comparare quin etiam se minoris aestimare quam Cynicos nego, quamobrem Leonidam hoc in carmine sententias suas efferre et paupertatem suam describere censeo. Poeta de paupertate peculiarem in modum conqueritur, fabulam Cynicam in mente non habet. Nam quare poeta ipse illam sententiam invenire non poterat? Quarto in versu iocum, quem G. non recte interpretatus est, legimus; in versu praecedenti enim poeta scribit: Mihi satis est aliquid panis et salis habere et pergit: Hunc victum (vel hoc genus vivendi) iam a patre aestimavi. Leonidam hic sapientiam Cynicam suam celare velle G. putat (p. 127. n. 1), neque vero de philosophia Cynica agi iam explicavimus. Poeta ioco acerbo quidem usus hoc in versu sollemniter, itaque

comice, loquitur: Hanc miseram vitam pater iam degebat, a quo hereditate ad me venit. — Ad interpretationem epigrammatis 96, ubi viam ad inferos tam tritam esse, quam etiam caeci ingredi possint, poeta dicit, iam transeamus. Quamquam illam sententiam Tarentinus ipse invenire poterat, tamen viro docto G. assentior, qui in epigrammate hoc apophthegma Bionis (Diog. Laert. IV 7, 49) *εὔκολον ἔφασκε τὴν εἰς Ἅιδου ὁδόν· καταμύοντας γοῦν ἀπιέναι,* quod fere eadem vocabula praebet, tractari docet (cf. p. 127; Kynika u. Verw., p. 5). Sed recte vir doctus Pohlenz (p. 81) monet, ne poetam, qui in philosophum aliquem epigramma composuit, illi deditum esse putemus. Quamobrem ex hoc epigrammate cognosci non potest, cuius sectator Leonidas in rebus ad philosophiam attinentibus fuerit; nam de verbo Bionis sine ira et studio disputat. — Ut in epigrammate tractato poeta verbum Bionis neque laudat neque vituperat, ita in carmine VII 731 (93) de Gorgi morte voluntaria sine cupiditate verba facit. Quibus e causis vir doctus G. collegerit Leonidam mortem voluntariam laudibus efferre, nescio (nam ea *οὐ κόμπῳ* ad *εἶπας* referenda sunt). Forma epigrammatis, in quo primum alterumque distichon Gorgus ipse loquitur, eos qui legunt de Anytae carmine VII 646 admoneri viro docto G. assentiri non possum, quia in priore disticho Anyte declarat, a quo et quando verba sequentia dicantur. Praeterea apud Leonidam Gorgus se ipse alloquitur.

Poetam pro partibus Cynicorum stetisse ex epigrammatis tractatis non apparuit. Quia aliquis fortasse in VI 300 (90), VII 736 (91), VII 472 (97) sapientiam Cynicam cognoscere potest, de illis carminibus nonnulla verba faciam. Leonidas in VI 300 quoque id spectat, ut paupertatem suam describat, qua coactus deae nulla re gratias agere potest nisi paucis fructibus. Itaque an carminis origo in sapientia Cynica invenienda sit, Pohlenzius (l. c. p. 81) recte dubitat. In VII 736 (91) Leonidas nos monet, ne vagemur, etiamsi nihil aliud possideamus nisi casulam miseram victumque tenuem. Sententiam principalem: „nam vita vaga est peior quam vita miserrima“ poeta non

~~tractat~~ enuntiat, quia is qui legit eam facile e carmine colligit. Epigramma ad Hecalam spectare viro docto Pohlenz (p. 84) assentiri non possum, quia poeta de rebus ad se ipsum pertinentibus verba facit; nam poetam diu vagatum esse ex epigrammate VII 715, quod a Leonida abiudicandum esse sed e bonis fontibus haurire G. recte exposuit, colligimus:

v. 3 τοιοῦτος πλανίων ἄβιος βίος· –◡◡––

Deinde sententia principalis tam simplex est, quam poeta facile invenire potuerit. Ex eisdem causis nego poetam sententiam e sapientia Cynica sibi sumpsisse. — Epigramma VII 472 G. in libro Kynika u. Verwandtes ita interpretatus est (p. 11 sqq.), ut de argumento mihi nihil addendum sit. Carmen dividendum esse aut versus alio in loco ponendos esse G. recte negat; summam carminis sententiam hoc enuntiatum continere puto: vita nihil valet. Et initium (tempus est infinitum, vita est punctum) et sequentes versus (vita est tetra, labor inutilis est) et exitus (vis humana est parva, e tenui ligno sculpti sumus) cum illo enuntiato convenit. Tales sententias non modo Cynici sed etiam alii philosophi exposuerunt. Nam in libro suo Kynika u. Verw. vir doctus G. et hunc locum e Seneca tractum („punctum est, quod vivimus, et ad huc puncto minus", epist. 49, 3) et complures locos affert, quos in consolationibus scriptos habemus. Illae sententiae tam tritae sunt, ut Leonidam eas e libris vel ex orationibus Cynicorum sibi sumpsisse probari non possit.

Leonidam philosophiam Cynicam non assecutum fuisse, ut G. censet, sed de illa disciplina aut sine ira et studio disputavisse (VII 731, 67; Stob. flor. 120, 9 = 93, 94, 96) aut versus ioci plenos fecisse (33, 88 = VI 293, 298) mihi persuasi. Neque enim quisquam philosophos, quos vera dicere persuasum tenet, exagitat. Quamobrem cavendum est, ne Leonidam novum ingenium in senectute sibi induisse viro docto G. assentiamur, qui epigrammata VI 293, 298 ante VI 302 composita esse arbitratur. Quamquam poeta in epigrammate VI 302 componendo senex (v. 3) erat, tamen ep. VI 293 post 302 compositum esse

potest. Leonidas certam philosophiam non sequebatur; de Cynicis versus fecit, quia philosophia Cynica tum valde florebat; nonnullis carminibus de rebus ad vitam poetae pertinentibus agitur, in aliis sententiae, quas Tarentinus exponit, tam simplices sunt, ut non sit, cur negemus eum illas ipsum invenisse.

Addiderim pauca verba de VII 648 (92). Aristocratem narrantem, quid de matrimonio censeat, Leonidas inducit. Omnes viros mulierem in matrimonium ducere, etiam virum pauperrimum Aristocrates iubet, nam illum, cum liberos possideat, viro diviti se conferre posse. Leonidas pergit: Aristocrates rectum intellexit, sed scelestum mulieris animum oderat. G. acumen esse putat: Könnte man doch Kinder ohne Weib bekommen. At mea quidem sententia conexus est hic: Aristocrates matrimonium et praecipue virum multis liberis auctum laudat, Leonidas id rectum putat et pergit: Aristocrates utile scivit, sed mulieres oderat, quo enuntiato exponit, quamobrem ille ipse nullam mulierem in matrimonium duxerit. Nam quod in versu nono legimus *ᾔδει τὸ κρήγυνον* (supplendum est *ἀλλ' οὐκ ἐποίησεν*), illum caelibem fuisse suspicandum est. Itaque post versum nonum (*κρήγυνον*) interrogatio eorum qui legunt supplenda est. (Qua de causa Aristocrates ipse a matrimonio, quod valde laudat, abhorruit?) Leonidas extremo in versu omnibus ita interrogantibus respondet; poeta igitur acuminis causa versus fecit.

Caput alterum.

De Leonidae Tarentini arte metrica. — Quaestiones selectae.

§ 1. De legibus Guilelmi Meyer-Speyer.

Poetae hellenistici arti metricae maxime operam dederunt novasque leges, quas primus vir doctus Meyer-Speyer elicuit (Sitzungsb. d. Bayr. Akad. 1884. Zur Geschichte des griech. u. lat. Hexameters), in hexametris struendis observaverunt. Ut locus, quem Leonidas his in rebus metricis tenet, melius cognoscatur, versus Anytae, Asclepiadae, Callimachi, Hedyli, Mnasalcae, Niciae, Poseidippi, Theocriti ad comparationem adhibeo. Prima lex ad secundum pedem spectat: Der Trochäus und der Daktylus im 2. Fuße darf nicht durch den Schluß eines drei- oder mehrsilbigen im 1. Fuße beginnenden Wortes gebildet werden (p. 980). Leonidas legem in quinque (sex) versibus (VII 283, 1 *τετρηχυῖα θάλασσα,* VII 422, 1 *τί στοχασώμεθά σου* VII 652, 1 *ἠχήεσσα θάλασσα* [VII 662, 5 *αἰαῖ ἐλεινὰ παθοῦσα*] IX 318, 3 *καὶ λαχανηλόγῳ* X 1, 7 *ταῦθ' ὁ Πρίηπος*) non observavit. Sed monendum est Leonidam et in VII 283, 1 (3, 1) et in VII 652, 1 (4, 1) et in VII 662, 5 similem verborum exitum diligentiae metricae anteposuisse videri; nescio an poeta in VII 422, 1 (35, 1) in literis *σ*, in IX 318, 3 (70, 3) in literis *λ* ludere voluerit; in X 1, 7 (50, 7) nomine proprio coactus legis oblitus est. Itaque Leonidas legem nusquam temere negligit, nonnullis in versibus peccat, ut artes vocales (artes vocales dico omnia artificia, quibus aequus vel similis sonus complurium verborum efficitur) adhibere possit. Callimachus, qui in hymnis legis nusquam oblitus est nisi in 2, 41 (nam in 6, 91 nomen proprium scriptum habemus), in epigrammatis legem diligen-

tissime observavit. Apud Theocritum, quem leges respicere Meyerus negat (p. 981), nullo loco epigrammatum trochaeum vel dactylum pedis secundi in voce, quae in primo pede initium habet, legimus (nam VII 661 [11, 3 *εὖ μιν ἔθαψαν*] fortasse a Theocrito abiudicandum est, in VI 337, 5 (8, 5) nomen proprium illo versus loco invenitur). Asclepiades in lege sexies (7 %) sine ratione peccavit (V 84, 3; 201, 3; 209, 3; XII 77, 1; 135, 1; 153, 3); Hedylus legis bis (6 % A. C. III 67, 7; IV 25, 3) oblitus est. Contra Anyte (neque enim VII 492 poetriae est), Nossis (in VI 353, 1 nomen proprium!), Mnasalcas, Poseidippus, Nicias legem semper respiciunt. — Secunda lex Meyeri (Die männliche Cäsur im 3. Fuße darf nicht durch ein zweisilbiges jambisches Wort gebildet werden. p. 980) saepius negligitur. Leonidas legem in VI 293, 5 (33); VII 163, 1 (11); 198, 1 (51); 472, 15 (97); 652, 7 (4); IX 322, 5 (18); 719, 1 (27); 25, 5 (44); X 1, 7 (50); XVI 190, 1, 3 (47) non observavit. At in IX 719, 1 nomine proprio, in VII 652, 7 syllabarum *δε κε* simili sono: *Τιμάρης δὲ κενὸν τέκνον κεκλαυμένον* commotus est, ut legis oblivisceretur. In IX 322, 5 poeta voces similiter sonantes (*πρόσωπ*[*α*], *μετώπου*) in tertio atque in sexto pede collocavit, quia illi pedes elati sunt. Leonidas igitur non nisi in octo versibus hexametris (3 %) legem sine ratione negligit. Asclepiades legem non respicit, quia in octo versibus hexametris (10 %) caesuram *πενθημιμερῆ* in voce iambica ponit (V 63, 5, 157, 3, 180, 3, 9; VII 217, 1; XII 46, 3; 77, 1; 163, 1 — in XII 50, 7 si extremum distichon Asclepiadae est). Contra Callimachus in centum triginta quattuor versibus hexametris epigrammatum legem nusquam negligit nisi in VII 471, 3 (23); id cum observatione Meyeri, qui Cyrenaeum in hymnis perraro (1 %) contra legem peccare scribit (p. 981), bene congruit. Poseidippus (A. C. III 79, 7) atque Hedylus (Athen. 497 d, 7) legis semel, Mnasalcas (VI 125, 1, 264, 3) bis (6 %) oblitus est. Theocritus in VI 337, 5 (8), 338, 1 (10); VII 658, 1 (15) in lege peccat (8 %); Anyte in VI 153, 1; VII 202, 1; 538, 1 caesuram *πενθημιμερῆ* in voce iambica ponit (7 %); Nossidem Simmiamque, aequales Anytae, in lege non peccavisse fortuitum esse mihi videtur.

Tertia lex (Wenn die dritte Hebung Wortschluß und männliche Cäsur bildet, so darf nicht auch die 5. Hebung Wortschluß mit männlicher Cäsur bilden) multo accuratius ab epigrammatum poetis observatur quam prima alteraque, quia extremis vocum syllabis ictu elatis aures laeduntur. Leonidas, Nossis, Callimachus, Asclepiades (nam in XII 162, 3 nomen proprium legitur), Poseidippus (in A. C. III 81, 1 encliticon τι succedit, quo vox in pedem trochaicum cadit), Mnasalcas, Simmias (in VII 60, 1 τε sequitur) legis numquam obliti sunt. Semel tantum Hedylus contra hanc legem peccat, sed consulto sine dubio, quippe qui verbum πάντων quocumque modo potest efferre voluerit: (Athen. 486 b, 5)

ἦν ⟨σὺ⟩ σάου πάντως ὡς καὶ πάντων

Nescio an Anyte in VII 649, 1

ἀντί τοι εὐλεχέος θαλάμου σεμνῶν θ' ὑμεναίων

numero gravi maerorem matris pingere velit. (In VII 538, 1 Anytae voci νῦν succedit δέ.) Theocritus, quem in idylliis legem negligere Meyerus docet (p. 981, 995), in VI 340, 3 (13); VII 658, 1 (15); IX 437, 15; VI 338, 3 (10) legem non respicit (10 %).

Quartam legem (Am Schlusse des 1. Pentameterstückes sind wie im Hexameter mit männlicher Cäsur jambische Worte zu meiden. p. 982) Leonidas in VI 131, 4; VII 163, 8; 266, 2, 448, 2; 449, 2; 480, 4, 6; 503, 2; 656, 4; IX 316, 2, 10 negligit. Sed quia in VI 131, 4 (2); VII 266, 2 (7), 480, 6 (32), 656, 4 (12); IX 316, 2 (57) monosyllabon (praepositio vel adverbium vel forma articuli) accentum non habens cum voce iambica coniungendum est, ea hoc modo pedem anapaesticum praebet. In VII 449, 2 (37) nomen proprium, quo lex metrica semper negligi potest, invenitur; in VII 480, 4 (32) voci iambicae monosyllabon τί praecedit; Leonidas igitur nusquam in lege peccat nisi in quattuor versibus pentametris (VII 163, 8 (11); VII 448, 2 (36); VII 503, 2 (10); IX 316, 10 (57)). Cum Callimachus legem semper observet (nam in V 6, 2 (25); VII 89, 16 (1) legem cum ratione neglectam esse Meyerus iam explicavit cf. p. 982),

neque Asclepiades neque Theocritus eam respicit, nam Samius in novem pentametris (V 144, 6; 163, 4; 166, 4; 168, 2; 180, 10; VII 217, 4; 284, 2; 500, 2; XII 46, 2 — in V 161, 2 ὅ praecedit) contra legem peccat; eum homoioteleuti in exitibus hemistichiorum positi causa, quod apud Samium interdum invenimus (cf. p. 53), in V 163, 4; VII 217, 4; 500, 2 legis oblitum esse nego, quia eum artes vocales non magni aestimare postea videbimus. Theocritus in tribus pentametris (VI 337, 2 (8); VII 659, 4 (7); VII 661, 6 (11)) legem negligit. Item Poseidippus (cf. V 185, 2, 4; 212, 4, A. C. III 77, 2 — in XII 120, 2 nomen proprium) atque Hedylus (V 198, 2, A. C. IV 25, 6 in A. C. V 16, 4 monosyllabon *τό* voci *ὁρᾶν* praecedit) exitum prioris hemistichii diligenter non tractant.

§ 2. De exitu versus.

Leonidam maxime operam dedisse, ut elegantem versum componeret, ex eo quoque cognoscimus, quod exitum versus diligentissime tractat. Cum carminibus Leonidae (582 v. — nam in epigrammate nuper reperto exitus duorum versuum depravatus est) epigrammata Asclepiadae (166 v.), Callimachi (268 v.), Theocriti (72 v.) comparo. Plerique versus Leonidae (431; Ascl. 103; Call. 138, Theocr. 36) substantivo vel adiectivo terminantur; verbum finitum in exitu 57 versuum Tarentini (A. 28, C. 66, Th. 13) legimus. Libenter Leonidas versum forma participii terminare videtur (66, A. 2, C. 9, Th. 5), quia participium medii ad finem versus pentametri bene aptum est (cf. VII 295, 2 *νηξάμενον*; VII 504, 6 *ἀράμενος*). Aliae verbi formae apud Leonidam sexies in exitu versus inveniuntur (A. 3, C. 8, Th. 3). Omnia illa vocabula versum bene terminant, neque vero versus cadit, sed vocabulum grave in fine habet. Voces, quae parvi momenti sunt, poetae in exitu versus evitant (cf. Norden, Aeneis VI p. 391 sqq.). Itaque Leonidas versum non saepius quam quater decies (5 %, Call. 8 %, Ascl. 3 %, Th. 6 %) pronomine, septies adverbio (1 %, Ascl. 3 %, C. 1 %, Th. 1 %) terminat. Monosyllaba Leonidas fugit, in septem versibus hexametris (1 %) talia verba inveniuntur (apud Ascle-

piadam in 8 v. hex., in 2 v. pent. = 7 %; apud Callimachum in 11 v. hex. = 4 %; apud Theocritum in 2 v. h., in 2 v. p. = 6 %). In quinque versibus Tarentini particulae vel pronomina [τε VII 480, 7 (32); δέ VII 466, 3 (14); IX 719, 1 (27); μέν XVI 307, 3 (28); τι IX 316, 11 (57)] versum terminant, sed eis, quae tenuiter exspirantur, magnum pondus non inest, quamobrem in versus fine a poetis non severe evitantur. In VII 731, 3 (93) monosyllabon τρεῖς cum ratione in exitu positum est, ut describeretur, quam miseri anni sequentes essent. Nullo alio in versu Tarentinus diligentiae oblitus est nisi in VI 296, 5 (81 τὸ πλεῦν). Particulae vel pronomina apud Callimachum in novem versibus [δή VII 89, 3 (1); που VII 80, 3 (2); δέ VII 517, 1 (20); V 23, 5 (63) — μοι VII 89, 5 (1); με Athen. VII 318 (5), A. P. VII 525, 1 (21); σε VII 519, 1 (14); τί VII 524, 3 (13)], apud Theocritum in duobus (VI 340, 5 (13) γάρ; IX 437, 5 (4) δέ), apud Asclepiadam in quinque (δέ V 209, 1; μέν VII 11, 1; με V 157, 3; μοι VII 11, 3; τις V 180, 3) extremum locum tenent. Substantivum, quod Theocritus evitat, apud Cyrenaeum semel (in VI 150, 1 (57) id παῖς sine ratione in fine collocatum est), apud Samium ter (V 166, 5 τίνος, Ζεῦ cum ratione, quia in sequenti versu nomen Ζεῦς primum locum explet; sine ratione XII 75, 2 161, 1 παῖς) in fine legitur. Verbum in uno versu et Callimachi (XII 73, 1 (41) οὐκ οἶδ' sine ratione) et Asclepiadae (V 6, 2 εἶ fortuito), in duobus Theocriti (sine ratione VII 661, 4 (11) φίλος ἦν; VI 340, 4 (13) ἔτος ἦν) exitum tenet; adverbium in fine Asclepiadae versus V 180, 2 (τί τὸ πάξ;) legitur. In universum, Asclepiades monosyllabon sine ratione in exitu trium, Callimachus atque Theocritus duorum, Leonidas unius versus collocavit. In exitu pentametri versus Callimachus atque Leonidas monosyllabon nusquam posuerunt, Asclepiades (V 6, 2 XII 75, 2) atque Theocritus (VII 661, 4 (11) VI 340, 4 (13) bis. Leonidas igitur exitui versus maximam operam dedit. Theocritus et Samius finem versus non diligenter tractant, Callimachus in versu pentametro accuratior est quam in hexametro.

Caput tertium.

De epigrammatum compositione.

In nonnullis epigrammatis dedicatoriis Leonidae compositio est simplex; simplicitate poeta efficit, ut is qui legit statim intellegat, quid poema velit. Veluti in VI 334 (53) atque in IX 326 (54) invocationem (v. 1—4) dedicatio sequitur (v. 5—6), vel rerum dedicatarum copiosae enumerationi atque descriptioni in extremo disticho dedicatio succedit (cf. VI 286 (74), 1—4, 5—6; VI 289 (78), 1—6, 7—8; 288 (75), 1—8, 9—10; 296 (81), 1—4, 5—6; VI 205 (83), 1—8, 9—10; 4 (84), 1—6, 7—8). Interdum dedicatio cum enumeratione rerum coniuncta est et supplicium sequitur (VI 355 (68), 1—2, 3—4; 188 (71), 1—2, 3—6). Annotatione digna sunt epigrammata VI 154 (72) et VI 13 (73). In VI 154 Biton tribus deis tres res dedicat, quae cum cultu deorum cohaerent, quorum donorum causa a deis petit, ut domum suam decoret suo quisque modo. In primo disticho legimus Bitonem Pani, Libero, Nymphis dedicationem afferre, in v. 3—6 res dedicatae enumerantur, in v. 7—8 preces scriptae sunt. Alterum atque tertium distichon a primo quartoque circumcluduntur. In primo versu Pan atque Liber nominantur, nominibus propriis, quae in tertio atque in pede sexto leguntur, adiectivum ascriptum est. Initium atque exitum alterius versus vocabula, quibus dedicatio exprimitur, occupant (πρέσβυς . . . ἔθηκε Βίτων), in medio versu Nymphae, quibus adiectivum non attributum est, nominantur. In versibus 3—6 dei in eadem serie enumerantur atque in v. 1—2, in v. 3 Pani in v. 4 Libero, Nymphis in v. 5—6 dedicatur (de ordine verborum in v. 5, 6 cf. Norden, Aenis VI, p. 389 ann.). Series deorum est mutata in extremo disticho, Nymphae primum locum explent,

Pan alterum, extremum Liber. Preces verbo αὔξετε, quod lepide initium versus occupat, exprimuntur, sed quia Biton a deis petit, ut domum suo quisque modo decoret, tria adiectiva inveniuntur. Epigramma igitur elegantissime compositum est. — In VI 13 tres fratres Pani retia, quae ad venationes diversas adhibent, dedicant et a deo petunt, ut suo quemque in venatu adiuvet; compositio est laude digna, nam invocatio, dedicatio, preces singula disticha explent. Deinde singulas res descriptionis Anacreontis [XVI 306 (42)], Aristocratis [VII 440 (43)] atque singulae partes orationis Priapi [X 1 (50)] perspicue efferuntur, quia in singulis distichis tractantur neque ullum distichon in sequens transit; orationes colloquii discernuntur [IX 320 (20); VII 503 (10)]. Leonidas igitur in epigrammatis tractatis id studuit, ut singulas res in singulis distichis tractaret.

In carminibus, ad quae nunc transeam, poeta non modo idem spectat sed etiam operam dat, ut ordo enuntiatorum atque verborum in distichis similis sit. Neque enim Leonidas in VII 503 (10) satis habuit interrogationem prius, responsum alterum distichon explere. Sed in priore disticho enuntiatum principale eiusdem longitudinis est atque enuntiatum secundum in altero disticho et enuntiatum secundum interrogationis etiam tot syllabas habet quot principale responsi; et in utroque versu hexametro caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον legitur. Similitudo distichorum eo confirmatur, quod et in secundo et in quarto versu post primum vocabulum, quod pedem primum explet, novum enuntiatum vel nova pars enuntiati inchoatur; quo artificio voces εἴποις et ὤλεσε efferuntur. Poeta igitur diversis artibus studuit, ut responsum interrogationi etiam in ordine verborum responderet, quam rationem eum bene assecutum esse puto. — IX 24 (21) in disticha, in quibus ordo verborum comparandus est, dividi potest. Et in primo et in tertio versu obiectum et verbum, in secundo quartoque vocabula ad subiectum attinentia legimus. Subiectum in priore disticho in pentametro, in posteriore in hexametro versu invenitur. Nomina propria polite collocata sunt, nam exitum versus ter explent, nominibus propriis in secundo tertioque versu positis summum

pondus inest. — De epigrammatis IX 25 (44) compositione iam verba feci (cf. p. 15).

Accuratius tractabo VII 163 (11), quia ex illo carmine Leonidae ars optime cognosci potest. Ad comparationem Sidonii Antipatri ep. VII 164 et Archiae ep. VII 165, qui Tarentinum imitati sunt, adhibeo. (Epigramma 165 Archiae esse argumentis confirmavit Rasche; de Anth. Gr. epigrammatis, quae colloquii formam habent, Diss. Muenst. 1910, p. 50.) Epigrammata sunt tituli sepulcrales. In Leonidae carmine mortua viatori respondens nomen, patriam, maritum, liberos, causam mortis, aetatem appellat, postremum bona omnia viatori optat, qui marito eius vitam longam precatur. Compositio est haec: tria disticha (v. 1—6) binas interrogationes et bina responsa continent, in extremo disticho viator hexametrum, mortua pentametrum loquitur; versui primo respondet sextus, nam totum primum versum viator, qui colloquium inchoat, totum sextum mulier, quae quaestiones ad finem adducit, loquitur. Nullius versus sententia in sequentem transit tertio excepto, cuius ultimum verbum in quarto legimus. Id *ἐξέδοσαν,* quod per se ipsum dignum non est, quod efferatur, quia simile verbum e versu praecedenti facile colligi potest, poeta in initio collocavit, quia versus, qui alioquin dilaberentur, illa voce inter se coniunguntur. Versum quartum poeta cum ratione cum tertio coniunxit, quia illi versus fere medium carmen praebent. Quomodo poeta in colloquio incisiones respexerit, illustrat Rasche (p. 24). Itaque si viatorem litera *ξ*, mortuam litera *Π* significamus, compositio carminis est haec:

v. 1			*ξ*	
v. 2	*Π*		*ξ*	*Π*
v. 3	*ξ*			*Π'*
v. 4	*Π'*		*ξ*	*Π*
v. 5	*ξ*	*Π*		*ξ*
v. 6			*Π*	
v. 7			*ξ*	
v. 8			*Π*	

Praeterea poeta in versu altero responsum interrogationi simile reddidit, nam verba respondentia pedem anapaesticum explent et in η terminant. (ποδαπῆ — Σαμιῆ), quod artificium in quarto versu reperimus, quia et in interrogatione et in responso praepositio ἐκ, cui duae breves vocales succedunt, ictu effertur (ϑνῃσκεῖς δ ἔκ τινος; — ἔκ τοκετοῦ.). Puerum similis soni causa, quem nomen Καλλιτέλης atque adiectivum τριετής praebent, tres annos natum esse suspicor. Leonidas similem sonum valde auxit, nam adiectivo praecedit ἀλλά, cuius prior syllaba similitudinem aliquam habet cum prima syllaba nominis proprii; τριετῆ et Καλλιτέλην ictum in extrema syllaba habent:

αλλᾰ τριετῆ Κᾰλλιτελῆν.

Antipater Sidonius atque Archias hoc artificium non cognoverunt, puer est trium quidem annorum, sed in 164, 8 ἀλλά deest, in 165, 6 adiectivo substantivum additum est (νηπίαχον τρισσῶν ‖ Καλλιτέλην ἐτῶν). Epigrammata Antipatri atque Archiae nunc accuratius contemplabimur.

Compositio epigrammatis VII 164 est haec:

v. 1	ξ			Π'	
v. 2			Π'		
v. 3	ξ				Π'
v. 4			Π'		
v. 5	ξ		Π		ξ'
v. 6		ξ'		Π	
v. 7	ξ				Π'
v. 8			Π'		
v. 9	ξ				Π'
v. 10			Π'		

Omnes versus hexametri (apud Leonidam nullus nisi tertius) in sequentem pentametrum transeunt. Tertium distichon duas interrogationes et duo responsa continet, cum alia unam interrogationem et unum responsum habeant. Exitus carminis non tam bene compositus est quam apud Leonidam; versus octavus

primo respondere non debet, quia primum distichon secundo, quartum quinto respondet. Si in versibus 1, 3, 7, 9 responsa eodem loco posita essent, ars compositionis maior esset. Paulo melius quam ep. 164 est ep. VII 165:

v. 1	ξ	Π	ξ	
v. 2	Π	ξ		Π
v. 3	ξ		Π'	
v. 4	Π'	ξ		Π
v. 5	ξ		Π	ξ
v. 6		Π		
v. 7	ξ		Π'	
v. 8		Π'		

Hic responsa in versum pentametrum non transeunt nisi bis, eundem numerum quaestionum disticha non praebent. Versus octavus a septimo separatus non est. Utrumque igitur carmen a Tarentino in arte componendi superatur.

Deinde cum Leonidae carmine Callimachi ep. VII 524 (13) comparandum est. Quia praeter mortuum viatoremque in primo disticho sepulcrum loquitur, argumentum difficilius est. Si litera ξ viatorem, mortuum litera *X*, sepulcrum litera τ significamus, carminis compositio est haec:

v. 1			ξ				τ
v. 2					τ'		
v. 3		ξ			*X*		ξ
v. 4	*X*		ξ		*X*	ξ	
v. 5, v. 6				*X*			

Primum igitur distichon interrogatione viatoris et responso sepulcri expletur, in altero tres interrogationes et tria responsa mortui legimus, sed in exitu viator extremum vocabulum suum loquitur, quo aequus ordo orationum perturbatur. Extremum distichon mortuus loquitur; Callimachi dispositio igitur non tam artis plena est quam Leonidae. Interrogationes et responsa in

altero disticho scripta brevissima sunt et celeriter sibi succedunt. (Interrogationes fere tria vocabula, responsa duo vel unum habent; de hoc epigr. quoque cf. Rasche, p. 21, 29.)

Ad artificium compositionis, quod in Leonidae VII 648 (92) invenitur, iam transeamus. (De argumento carminis cf. p. 24). Aristocratis oratio singulis distichis a poeta dictis, in quibus nomen proprium eundem locum tenet, circumcluditur. Versus orationis ab illis eo differunt, quod cum versus 3, 4, 5, 7, 8 initium spondiacum habent tum versibus 3, 5, 7 caesura trochaica inest, quae in vocibus similiter cadentibus legitur. Versus hexametri circumcludentes caesuram *πενθημιμερῆ* et bucolicam habent. In versibus 3, 5, 7 verba ita ordinata sunt

v. 3 — — — — *σαι* | *το*
v. 5 — — — — *σαι* | *το*
v. 7 — — — — *οι* | *το*

Praeceptum suum Aristocrates verbis similiter sonantibus *μνησαῖτο*, *ἔδνωσαῖτο* (v. 3), *στῦλωσαῖτο* (v. 5), *φαινοῖτο* (v. 7) vehementissimum reddit. Poeta igitur studuit, ut versus orationis a circumcludentibus in re metrica distarent.

Ex epigrammatis hoc in capite opusculi tractatis elucere puto Leonidam operam dedisse, ut singulas res in singulis distichis redderet (idem censet Rasche, p. 23). In nonnullis carminibus etiam enuntiata atque verba in distichis similiter ordinavit. In universum Leonidas id spectavit, ut is qui legit sententiam epigrammatis statim cognosceret atque ordinem enuntiatorum verborumque facile perspiceret.

Caput quartum.

De collocatione verborum. — Quaestiones selectae.

§ 1. De exitu enuntiatorum, quae in versum sequentem transeunt.

Distichon bene compositum unum atque simplex est (cf. Wilam., Textgesch. d. griech. Bukol., p. 138sq.). Itaque disticha, in quibus enuntiatum e versu pentametro in hexametrum sequentem transit, apud poetas hellenisticos epigrammatum rarissime reperiuntur. Si vero tales versus legimus quales sunt hi Leonidae VII 273, 1—3 (6):

Εὔρου με τρηχεῖα καὶ αἰπήεσσα καταιγὶς
καὶ νὺξ καὶ δνοφερῆς κύματα πανδυσίης
ἔβλαψ' Ὠρίωνος·

quaerendum est, utrum poeta cum ratione versus coniunxerit an hic ordo verborum fortuito evenerit. Consilium poetae in eis exemplis saepissime cognoscendum esse arbitror, ubi enuntiatum, quod in distichon sequens transit, in initio hexametri iam finem capit (qui puncto vel colo in editionibus nostris significari solet). Illa collocatione enuntiati pars, quae in initio hexametri legitur, effertur, quia a disticho, in quo inchoavit, soluta primos pedes hexametri sequentis occupat. De exemplis, quae in epigrammatis Anytae, Asclepiadae, Callimachi, Hedyli, Leonidae, Mnasalcae, Niciae, Poseidippi, Simmiae, Theocriti inveni, nunc verba faciam.

Saepissime enuntiatum, quod in versum hexametrum sequentem transit, ante quintum pedem terminatur. Veluti in epigrammatis Callimachi enuntiatum, quod transit in distichon sequens, duodecies (2, 3; 14, 3; 15, 3; 18, 3; 24, 3; 27, 3; 45, 3; 46, 9; 48, 5; 55, 3; 58, 3; 62, 3) ante quintum pedem terminatur, bis (1, 5; 48, 3) in tertio pede. Consilium poetae in

illis versibus cognosci posse nego, quia enuntiatum nimium locum hexametri occupat quam ut praecipue efferatur. Verisimile mihi videtur poetas hellenisticos epigrammatum, qui enuntiatum in uno disticho terminari non posse cognoverunt, id usque ad quartum pedem produxisse, quia ante quintum pedem intervallum optimum invenitur (cf. Wilam. l. c.).

Raro enuntiatum, quod in disticho sequens transit, in tertio pede hexametri sequentis exitum habet. In exemplis, quae praebet Asclepiades (V 6, 3; 144, 3), Leonidas (VI 110, 3 (63) — In VI 296, 9 (81); VII 448, 3 (36) enumeratio terminatur), Poseidippus (A. C. III 79, 3, 5; 81, 9), certum consilium poetarum extare nego, quia verba in hexametri principio scripta parvi momenti sunt. In Asclepiadae V 157, 3 enuntiatum in tertio pede nondum desinit, nam vocabulis, quae eis *χρύσεα γράμματ' ἔχον* succedunt, praecedentia explicantur. In Leonidae VII 273, 3 (6) et V 187, 3 (19) voces, quae initium hexametri explent, recte efferuntur; in 19, 3 describitur, quantopere poeta ab amore oppressus sit, in 6, 3 audimus, cuius opera calamitas praecipue facta sit. Callimachus in VI 310, 3 (48) lusum verborum eleganter in initio posuit, in VII 89, 5 (1) enuntiatum, quo dicit alteram puellam alteri praestare, collocatione quoque extulit.

Non saepius versus hexametros legimus, in quibus enuntiatum, quod in disticho praecedenti initium capit, locum usque ad caesuram *τριθημιμερῆ* occupat; illo ordine pars enuntiati vel una vox duobus ictibus ornatur atque caesura a sequentibus verbis separatur. Bonum exemplum praebet Leonidae VII 654, 5 (5):

v. 3. *ὧς καὶ ἐμὲ πλώοντα σὺν οὐκ εὐπίονι φόρτῳ*
Κρηταιεῖς ὦσαν Τιμόλυτον καθ' ἁλός.
δείλαιον.

Voce *δείλαιον*, quae molossum explet, tristis sors mortui eleganter describitur atque sono pingitur. In VII 506, 7 (87) Leonidae mira mors piscatoris enuntiatur (cf. p. 63 sq.). In Callimachi VII 517, 3 (20) *αὐτοχερί* maximi momenti est, nam fratrem a virgine vehementissime amatum esse inde optime cognoscitur, quod ea se ipsa interfecit. (Neque vero incisio est

magna, quia *γάρ* succedit.) In Poseidippi V 182, 5 enuntiatum eo *ἀσφαλέως* lepide terminatur.

In Leonidae VII 740, 5 (17), Niciae XVI 188, 3, Poseidippi III 78, 3, Theocriti VI 338, 3 (10) enuntiatum, quod in disticho praecedenti inchoavit, nullum locum hexametri explet nisi primum pedem. Apud Niciam atque Poseidippum nomen proprium eleganter collocatum est; apud Theocritum in initio versus legimus, quam vitam is qui dedicat degerit; Leonidas enumerationem lepide incidit.

In epigrammatis non multa exempla invenimus, in quibus enuntiatum, quod in disticho praecedenti initium capit, in primis pedibus hexametri terminatur. Certum consilium poetae non in omnibus exemplis cognosci potest; sed quo breviorem partem hexametri enuntiatum, quod transit, occupat, eo saepius consilium poetae investigandum est. Confirmatur quoque sententia Wilamowitzii, qui exposuit poetas evitasse, ne alterum distichon in alterum transiret. Ea quoque exempla crebra non sunt, ubi pars aliqua enuntiati, quod in distichon sequens transit atque locum usque ad finem pentametri explet, in initio hexametri terminatur (cf. Asclep. IX 64, 3; XII 163, 3; Leon. VII 19, 3. 662, 3; IX 316, 13; Mnasalc. VII 54, 3 (nom. prop.), Hedyl. A. C. III 17, 3; Poseid. XII 45, 3).

Putaverit quis disticha, in quibus enuntiatum, quod in hexametro inchoat, in initio pentametri terminatur, multo saepius in epigrammatis hellenisticis legi. Nam enuntiati pars, quae locum usque ad caesuram *τριθημιμερῆ* vel primum pedem pentametri occupat, ictibus valde effertur atque caesura a verbis sequentibus separatur. Neque vero exempla crebra sunt; suspicor poetas enuntiatum libenter usque ad finem pentametri produxisse, ne unitas atque simplicitas distichi perturbaretur. Primum ea disticha epigrammatum hellenisticorum enumerabo, in quibus enuntiatum usque ad caesuram *τριθημιμερῆ* pentametri versus locum explet. Primum exemplum, quod nominis proprii causa magni momenti non est, in V 79, 2, quod epigramma Platoni philosopho tribui solet, legimus. In versibus Anytae, Niciae, Nossidis, Simmiae exempla desunt, apud Leonidam

decem habemus (nonnulla fortuita esse videntur [VII 480, 4 (32); VI 13, 4 (73); VII 506, 12 (87); VII 731, 2 (93); VII 67, 8 (94)], in aliis voces efferri debent [VII 273, 6 (6); 452, 2 (15); IX 335, 4 (67); VI 120, 8 (52)]; de VII 163, 4 (11) cf. p. 33.) Nomen proprium nusquam illo loco invenimus. Callimachus illam collocationem non saepius habet. [VII 451, 2 (9); 517, 4 (20); XII 118, 6 (42); 150, 2 (46) — nomen propr. in VII 520, 4 (10); 521, 2 (12); VI 310, 2 (48)]. Unum exemplum et apud Asclepiadam (IX 752, 2) et apud Poseidippum (XII 120, 2) legimus, duo in Theocriti epigrammatis extant (IX 338, 2 (3); 437, 18 (4) — in VII 659, 4 (7) vox usque ad alterum trochaeum locum obtinet cf. Niciae ep. VI 270, 2). Tria exempla Hedylus praebet (A. C. I. 115, 2; V 16, 2; in V 16, 4 nom. propr.). Qua ex enumeratione colligo Asclepiadam Poseidippumque, quorum exempla fortuita esse videntur, et priores epigrammatum poetas collocationem evitavisse, quam Hedylus et Theocritus interdum, Leonidas Theocritusque raro adhibuerunt. — Paulo saepius disticha inveniuntur, in quibus pars enuntiati, quod a versu hexametro initium capit atque locum usque a finem pentametri explet, post caesuram τριϑημιμερῆ pentametri terminatur. Sed consilium poetae in tam paucis exemplis cognoscitur, ut timeam, ne omnia forte evenerint. [Apud Leonidam cum ratione posita esse videntur: VII 652, 4 (4); 654, 6 (5); 261, 2 (7); VI 293, 6 (33); fortuita sunt: VI 129, 2 (1); VII 740, 2, 4 (17); V 187, 4 (19); VII 480, 2, 8 (32); 449, 2 (37); VI 13, 2 (72); V 205, 6 (77); VI 205, 6 (83); VII 13, 2 (24)]. Item veri simile est fere omnia exempla, ubi enuntiatum, quod in versu hexametro inchoat, post primum pedem pentametri terminatur, forte evenisse. [Leonidas praebet novem exempla; in sex nomen proprium legitur: VI 131, 4 (2); VII 654, 2 (5); V 187, 2 (19); VII 422, 6 (35); IX 316, 14 (57); IX 335, 2 (67) deinde cf. VII 478, 6 (31); 440, 10 (43); VI 154, 8 (72).]

§ 2. De anaphora.

Perpauca verba de anaphora faciam. Leonidas voces in initio et versuum (a) et colorum (b) repetivit.

a) Anaphoram Tarentinus adhibuit ad vocem efferendam in VII 466, 1, 7 (14); 740, 3, 5 (17); 480, 1, 3 (32); 408, 3, 4 (40); 440, 5, 9 (43); VI 305, 1, 7 (89); VII 736, 1, 3 (91); VII 736, 5, 7, fortuito in VII 163, 1, 3 (11); 463, 1, 2 (13); IX 320, 1, 4 (20); XVI 182, 5, 6 (29); [VI 226, 1, 3 (69)]; VII 726, 3, 5 (76); V 205, 1, 3 (77); [VI 289, 3, 4, 5 (78)]; VI 35, 3, 6 (80); [VI 204, 2, 3 (82)]; VI 305, 4, 5, 6 (89). In VI 13, 6 (73) hemistichia ab eisdem vocabulis inchoant, ut eadem sententia simillima forma reddatur:

τῶ̆ δε διᾰ δρυμῶ̆ν || *τῶ̆ τε δι ἠ̆ιονῶ̆ν.*

Formas eiusdem vocis in principio versuum IX 326, 1, 3 (54) IX 326, 2, 5; 68, 3, 4 (VI 385); ox. pap. IV 662, 2, 6 legimus. Apud Callimachum (Epigrammata Asclepiadae, Callimachi, Theocriti semper ad comparationem adhibeo) idem verbum in initio versuum non revertitur nisi bis; in V 6, 3 (25) *ὤμοσε* iusiurandum, quod disticho in primo legitur et verbo eodem in initio primi versus scripto indicatur, eleganter terminat; simili cum ratione in V 23, 1, 3 (63) figura posita est. Quinto in hymno anaphora, quae ad poemata melica aptissima est, multo saepius invenitur. Apud Theocritum figuram non legimus nisi in XIII 3, 2, 3 (19), ubi enuntiata condicionalia sibi opposita sunt; neque enim in eodem initio (*τόν*) versuum 1, 2 epigrammatis IX 598 (22) anaphora cognosci potest. In versibus e septimo idyllio ad comparationem allatis 37—157 duo exempla habemus (v. 118, 119; 149, 151). Apud Asclepiadam quoque figura nobis raro occurrit, nam exempla, quae V 184, 3, 5, 6 (*καί*) et XII 166, 4, 5 (*ναί*) praebent, parvi momenti sunt; idem initium in XII 50, 1, 5 (7) et in XII 153, 2, 3 quaesitum esse puto. Figura anaphorae, quae ad certum genus epigrammatum non spectat, Leonidas saepius usus est quam Callimachus, Theocritus, Asclepiades.

b) Vocem in initio complurium colorum ponere Tarentinus non satis habuit, sed etiam libenter ictum in alia syllaba vocis repetitae collocavit; qua re vox repetita aliter sonat atque eadem, quae antea legitur:

VI 129, 1 (1) **ὄκτω** τοῖ θυρεοῦς **οκτὼ** κρανη **ὄκτω** υφαντους
VII 463, 1 (13) **αὖτα** Τῖμοκλεῖ **αυτᾶ** Φιλω **αὖτα** Αρῖστω
αὖτα Τῖμαιθὼ ‖ –◡◡–◡◡–
VII 740, 3 (17) **ὂ πριν** καῖ Γυγῆ παρισεῦμενος ὂλβον **ο τὸ πριν**
βοῦπαμῶν **ο πρῖν** πλ. αιπ.
ὂ πριν – – – – –◡◡–◡◡–◡
VII 19, 1 (25) **τὸν** χαριἔντ Αλκμᾶνα **τον** ὗμνητῆρ υμεναῖων
κὕκνον **τὸν** ––‖–◡◡–◡◡–
XVI 206, 3 (26) ἄλλ **ον** Πρᾶξιτελῆς εγνῶ θεον **ὂν** περι Φρυνη
VI 221, 7 (65) χεῖμα δε **θῆρ** μεινᾶς **θηρ** νὖκτιος –◡◡––
VII 285, 1 (85) Θῆριν **τὸν** τριγερὂντα **τον** εὖαγρῶν ◡◡––
ζῶντα τον αἶθυιῆς ‖ –◡◡–◡◡–

In exemplis sequentibus ictus in eadem syllaba vocis repetitae legitur:

IX 322, 3, 4 (18) **ἄκλαστοῖ** μεν κῶνοι ◡–––◡◡–◡
ἄσπιδες **ἄκλαστοῖ** ‖ –◡◡–◡◡–
VII 448, 1 (36) –◡◡–––◡◡–◡◡ **ἄκρον** ερῶτων
εἶδοτος **ἄκρα** μαχᾶς **ἄκρα** λινὂστασιᾶς
ἄκρα ◡–◡◡ ◡◡– ....
VII 657, 11 (59) – – – – –◡◡–◡◡ **εἶσι** θανὂντων
εἶσιν αμοῖβαιαῖ ‖ –◡◡–◡◡–
VII 472, 1 (97) **μὖριος** ῆν ––◡◡–◡◡–◡◡ ––
ῆλθες χῶ λοιπὂς ‖ **μὖριος** εἶν Αιδη.

In XI 322 collocationem quaesitam legimus, et in initio et in exitu versus alliterationem habemus, *κλαδαραί* et *κάμακες* similiter sonant, quia utraque vox est trium syllabarum, ictus in extrema syllaba invenitur, syllabae ictu non elatae eandem vocalem praebent; extrema syllaba prioris hemistichii (*τοι*) similiter fere sonat atque prima posterioris (*δαι*):

v. 4 ἄσπιδες **ἄκλαστοῖ** ‖ **δ αῖ κλαδαραῖ καμακἔς.**

In VII 472 voce dactylica (*μυριος*) fieri non poterat, ut ictus alia in syllaba poneretur. — Ut Leonidas (qui variam voculationem numquam neglexit nisi bis) ita Asclepiades eam libenter adhibuit, nam in

XIII 23, 5 **φευ** τὄν τεκὄντα **φεῦ** δε καἵ σε – ◡ – ◡ – –
V 166, 3, 4 – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ ἄχρι τινὄς Ζευ
Ζεῦ φιλε σἵγησὄν ‖ – ◡ ◡ – ◡ ◡ –

ictum alia in syllaba vocis repetitae posuit. In

V 168, 1, 3 **ἥδυ** θερους διψῶντι χιὦν ποτον **ἥδυ** δε ναῦταις
ἥδιὄν δ οποτἄν – – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡

eadem syllaba ictum habet. Callimachum autem maluisse ictum in eadem syllaba quam in alia ponere inde cognoscitur, quod nullo in epigrammate voculatio varia est nisi in

VII 728, 3 (40) **ἥ** γρηῦς γενομῆν **η** νῦν κονις **ἥ** Νο....

cum eandem habeamus in:

VII 518, 1 (22) **Ἀστακιδῆν** – – ◡ ◡ – ◡ ◡ – ◡ ◡ – –
ἔξ ορεὄς και νῦν ἵερος **Ἀστακιδῆς.**
οὔκετι Δἵκταιῆσιν υπὄ δρυσιν **οὔκετι** Δἄφνιν
VII 415, 1 (35) Βἄττιαδεῷ παρα σῆμα φερεἵς ποδας **εὖ** μεν αοἵδην
εἵδοτος **εὖ** δ οινῷ ‖ – ◡ ◡ – ◡ ◡ –
XII 139, 1 (44) **ἔστι** τι ναἵ τον Πἄνα κεκρῦμμενον **ἔστι** τι ταῦτη
XII 149, 2 (45) εἵκαδι καἵ Λωοῦ ‖ **τῆ** τινι **τῆ** δεκατῆ.

In VII 518, 3 vocem dactylicam legimus, in XII 149, 2 fortasse syllabae τη cum ratione efferuntur. In uno exemplo Theocriti voculatio mutata non est:

IX 338, 5 – ◡ ◡ – – – ◡ ◡ – ◡ ◡ ἄλλα τυ **φεῦγε**
φεῦγε μεθεἵς υπνοῦ ‖ – ◡ ◡ – ◡ ◡ –

Id artificium (ictus alia in syllaba vocis repetitae ponitur), quod in bucolicis epigrammatis non invenitur (cf. Leon. VII 657, 11), Tarentinus fortasse primus in epigrammate usus est, quia et in epigrammatis, quae ante aetatem hellenisticam scripta esse scimus, et apud Anytam Simmiamque voces repetitae ictum semper eadem in syllaba habent, et Leonidae epigramma VI 129 prius compositum esse videtur quam Asclepiadae carmina.

Caput quintum.

De artibus vocalibus.

Artes vocales ea artificia poetae dico, quibus similis vel aequus sonus complurium vocabulorum efficitur. Tale artificium iam in capite praecedenti cognovimus; nam poetam studuisse, ut ictum alia in syllaba vocis repetitae collocaret, intellegimus. Quo artificio Leonidas repetitionem et occultat et elegantem reddit. Itaque repetitionem eiusdem vocabuli in eodem epigrammate accuratius tractabo.

A. Primum Leonidae epigrammata, ubi voces eadem in forma scriptae repetuntur, enumerabo exceptis iis, in quibus anaphora invenitur. (Quem locum epigrammata in A. P. teneant, in p. 69 sq. notavi): 4 (v. 2 *Τελεῦταγορῆν* v. 8 *Τελεῦταγορῆν* in eodem loco versuum); 12 (v. 2 *Ἄλκιμενεῦς* v. 4 *Ἄλκιμενεῦς* i. e. l. v.); 13 (v. 2 *Αρἶστοδικοῦ* v. 4 *Αρἶστοδικὂς* i. e. l. v.); 19 (v. 5 *χὦ θνητὂς τον αλἶτρον εχὦ κει θνῆτος ο δαἶμων*); 39 (v. 3 *ανυεἶς τελεσαἶς* v. 4 *ανυεἶς τελεσαἶς*); 49 (v. 4 **τὦν** *ολιγὦν* **λαχανὦν** *εἶνεκα* **τὦν** *ολιγὦν*); 50 (v. 6 *πλωοἶς πᾶσαν* v. 8 *πλωοἶς πᾶσαν* i. e. l. v.); 67 (v. 4 *ἔργασιῆς αιἔν δ ὤγαθος ἔστ αγαθὄς*); 77 (v. 1 *Σατυρῆ* v. 5 *Σατυρῆ* i. e. l. v.); 89 (v. 4 *και τᾶν* v. 5 *καἶ ταν* v. 6 *καἶ τᾶν*); 87 (v. 9 *ἥμισυ* v. 10 *ἥμισυ*); 97 (v. 11 *οἶον τὂ ψιλὦθρω απἔψιλὦμενον οἶον*). In sex exemplis igitur (48 %) nomen proprium repetitur; voculatio mutari non poterat in 4, 13 (◡–◡◡–), 12, 68 (–◡◡–); quamobrem poeta et in illis carminibus et in 77, 50 voces in eadem sede versuum posuit; Leonidas igitur loco diversae voculationis aliud artificium (repetitionem in eodem loco versuum) adhibuit; quam sententiam rectam esse e his quoque exemplis confirmatur, ubi ictus in eadem syllaba legitur. In 49 eadem vocabula versum circumcludunt, in 39 voces anapaesticae similiter cadunt (*-εις, -σαις*), in 87 poeta ictum consulto eadem

syllaba correlativorum posuit, nam hoc modo correlativa animum eius qui legit valde in se convertunt atque enuntiata bene separantur. Tribus exemplis, ubi ictus alia in syllaba invenitur (19, 5; 67, 4; 89, 4, 5, 6), nullum, in quo eadem voculatio sine ratione observatur, oppositum est nisi 97, 11. Itaque Leonidas ut in anaphora ita in vocibus, quae eadem in forma in eodem epigrammate repetuntur, studuit, ut ictum alia in syllaba poneret; si voculationem mutare non poterat, aliud artificium saepe adhibuit.

Ad ea epigrammata, in quibus eadem vox alio in casu repetitur, transeam. Tales repetitiones figura polyptoti praebet. Apud Leonidam polyptoton undecies invenitur: 17, 6 *οσσῆς ὅσσον*; 19, 3 *θερμὸν δ επι θέρμω*; 64, 5 *αἵματος αἷμα*; 73, 2 *αλλῆς ἄλλος*; 75, 8 *ολιγῶν ολιγῆν*; 76, 7 *ρικνῆ ρικνοῦ*; 76, 10 *καλῆ καλῶς*; 89, 7 *κακοῦ κακα δῶρα*; 91, 2 *ἄλλην ἐξ αλλῆς*; 97, 4 *στίγμη καί στιγμῆς*; 36, 4 *Κρῆταιεῖς Κρῆτα*. Nonnulla ad sententiam augendam (17, 6; 19, 3; 75, 8; 76, 7; 89, 7; 97, 4), alia sine ratione scripta sunt, unum (36, 4) acumen praebet. Sexies ictus alia in syllaba vocis legitur. Leonidam igitur ut in exemplis supra commemoratis ita in polyptoto studuisse puto, ut voculationem variaret. Artificium et Callimachus (24, 2 *μικρῷ μῖκρος*; 43, 6 *φωρὸς δ ἴχνια φῶρ*) et Asclepiades (XII 105, 4 *εἷς ἕνι*; XII 163, 1 *καλῶ . . . καλον*) in polyptotis adhibuit; apud Theocritum nullum polyptoton legimus. — Diversae formae eiusdem vocis his in epigrammatis quoque Tarentini bis vel ter leguntur: 4, 1, 7 (*Τιμᾶρεος, Τῖμαρῆς*); 5, 2 (*Κρῆτες τίς Κρητῶν*); 5, 4, 6 (*Τῖμολυτὸν, Τῖμολυτὸς*); 17, 1, 2 (*Κρηθῶνος, Κρηθῶν*); 20, 1, 5 (*ποττᾶν Κυπριν, Κῦπρις*); 24, 3, 4 (*Ἄιδας, Αιδᾶ*); 35, 1, 3, 6 (*χῖον, χῖος, χῖω*); 36, 1, 2, 3 (*ἄκρον, ἄκρα, ἄκρα, ἄκρα*); 52, 5, 7 (*Αθῆναιῆς, Αθῆνη*); 54, 1, 3 (*πἔτρης, πἔτραι* in principio versuum!); 54, 2, 5 (*χαῖροις, χαῖρει* in principio versuum); 55, 2, 3 (*Τῖμοκλεοῦς, Τῖμοκλεῆς*); 55, 2, 3, 4 (*κᾶπον, κᾶπευς, κᾶπων*); 57, 1, 2 (*ἄγρους, αγρῶν*); 57, 3, 4 (*ορῶν, ορῆς*); 59, 1, 5 (*ποἵμενες, ποἵμην*); 68, 2, 3 *Βᾶκχω, Βᾶκχε* in initio versuum); 69, 1, 3 (*τοῦτ ολιγὂν, τοῦτο, τοῦτοις*); 69, 1, 4 (*Κλειτῶνος, Κλεῖτων*); 71, 1, 3 (*Θῆριμαχὸς, Θῆριμαχῶ*); 71, 3, 6 (*δωρῶν, δῶρα*); 72, 2, 5, 7 (*Νυμφαῖς,*

Νύμφαις, *Νυμφαῖ*); 72, 1, 3, 8 (*Πᾶνι*, *Πᾶνι*, *Πᾶν*); 78, 7, 8 (*Αθᾶναιᾶ*, *Αθᾶναιᾶς*); 86, 12 (*Γρῖπων ὅ γριπεῦς*); 87, 2, 11 (*Θαρσῦς*, *Θᾶρσυος*); 89, 1, 7 (*Λᾶβροσυνᾶ*, *Λᾶβροσυνᾶ*); 97, 3 (*ῆ οσον ὅσσον*); 97, 3, 5 (*ζωῆς ζωῆ*); 97, 6, 12 (*στῦγνοτερῆ στῦγνοτερὄν*) ox pap. IV 662, 2, 6 (*Γλῆμις Γλῆνιν* in initio v.). Mirum non est, quod in septendecim exemplis (60 %) nomina propria, quorum loco aliud vocabulum vix poni potest, inveniuntur. Quinquies voces repetitae primum locum versus tenent; in decem exemplis voculatio est varia. In nonnullis vocabulis fieri non poterat, ut ictus alia in syllaba poneretur (-◡◡- 5, 4, 6; 71, 1, 3; ◡--- 52, 5, 7; 78, 7, 8); cum ratione poeta cavit, ne in 35 voculationem mutaret, quia significatio vocis *χῖος* coniectura colligenda est; quamobrem in 55 voculatio non varia sit, postea videbimus (cf. p. 47). Leonidam operam dedisse, ut ictum in alia syllaba vocis repetitae poneret, inde colligo, quod decem exemplis, ubi alia syllaba ictum habet (62 %), sex opposita sunt, ubi ictum in eadem syllaba legimus (38 %).

Ad comparationem epigrammata Callimachi, Theocriti, Asclepiadae adhibeo. — Diversae formae eiusdem vocis in his Callimachi epigrammatis inveniuntur: 22, 1, 2, 4 (*Ἀστακιδῆν*, *Ἀστακιδῆς*, *Ἀστακιδῆν*) 25, 2 (*φιλὄν*, *φιλῆν*); 29, 1, 3 (*Αχελῶος*, *Αχελῶε*); 29, 3, 4 (*κᾶλος*, *λιῆν καλος*, *καλᾶ*); 42, 6 (*αδικῆμ αδικεῶ*); 52, 2 (*φιλεῖ*, *φιλεοῖς*); 59, 1, 2 (*εμανῆ μανιᾶν*, *μανεῖς*). Qua de causa voculatio in 22 mutata non sit, mox videbimus (cf. p. 47), in 29, 1, 3 fieri non poterat, ut ictus alia in syllaba poneretur (◡◡-◡̄), in 42 et in 52 voculatio est eadem, ut cognoscatur condicionem atque actionem artissime cohaerere. Adiectivum *φίλος* exitus hemistichiorum (25, 2) bene obtinet. In his Cyrenaei carminibus vox eadem in forma repetitur: 4, 1, 2 (*τι τοῖ σκοτος ῆ*, *τὄ σκοτος ῦμεὼν γᾶρ*); 22, 3 (*οῦκετι*, *οῦκετι*); 30, 1 (*Κλεονῖκε ταλᾶν ταλαν οῦ*); 30, 2, 5 (*εγνῶν*, *ἔγνων*); 41, 1 (*ῆμισυ μἔν ψυχῆς ετι τὄ πνεον ῆμισυ δ οῦκ οιδ*); 41, 2 (*εῖτ Ερος εῖτ*) 42, 2, 4 (*τῆν προπετεῖαν*, *τῆν προπετεῖαν* in eadem sede versuum) 51, 4 (*Χαριτἔς Χαριτἔς*); (63, 1, 3 *ῶς*, *ῶς* in eodem loco versuum); 63, 4, 5 (*οῦδ οναρ ῆντιασᾶς*, *οῦδ οναρ ῆ*). De correlativis ep. 41 cf. p. 44, de 22 cf. p. 47; in 63 voces *οὐδ' ὄναρ*

eadem in sede versuum revertuntur. Cum in 30 ictus alia in syllaba vocis repetitae inveniatur, in 4, 22, 51 eadem syllaba effertur. — Theocritus, qui formam conduplicationis semel, polyptoton numquam habet, nullum exemplum praebet, nam epp. 11 (1, 5 *ὁ σοφιστῆς* in eodem loco versuum); 24 (2, 3, 4, *τοῦ μεν, τον δ ἑπτα, τοῦ δε πἑντε, τοῦ δε δῶδεκα, τοῦ δε*) a Theocrito probabiliter abiudicanda sunt. Theocritus igitur cavit, ne easdem voces in epigrammatis repeteret. — Diversas formas eiusdem vocis in duobus Asclepiadae epigrammatis scriptas habemus (IX 63, 2, 4 in eadem sede versus *Ἀντιμαχὀν, Ἀντιμαχοῦ*, XII 163, 2, 4 *ανθεἰ, ἄνθεα*). Easdem formas vocis invenimus apud Samium in V 6, 1, 2 (*λὐχνε, λὐχνε*); 63, 3 (*ἤν, ἤν*); 180, 7, 10 (*πἑντε, πἑντε*); (IX 63, 3 *τἰς γαρ εμ οὐκ ηεἰσε τις οὐκ* ◡◡–◡◡––); XII 46, 2, 3 (*ὥρωτἑς, ερῶτες*); (163, 2 *μἡτε, μἡτε*); 166, 3, 5 (*ἔτι βἀλλετε, βἀλλετ Ερῶτες*) 166, 1, 5 (*Ερῶτες*); 166, 5 (*ναἰ ναι βἀλλετ Ε*). (De correlativis cf. p. 44.) Quia ictus in tribus exemplis alia in syllaba vocis repetitae (IX 63, 3; XII 46, 2, 3; 166, 5), in quinque in eadem positus est, Samium operam dedisse, ut voculationem mutaret, nego.

Si omnia exempla (voces in eadem vel in alia forma repetuntur) contemplamur, Leonidas in undecim (18 %) et Callimachus in quinque exemplis (17 %) ictum, quamquam in alia syllaba ponere poterant, in eadem syllaba vocis repetitae sine ratione collocaverunt; uterque igitur poeta studuit, ut voculationem vocis repetitae mutaret. Asclepiades autem quinque exempla, quae varia voculatione sine ratione poetae carent, praebet (32 %).

Nunc quaerendum est, qua aetate varia voculatio eiusdem vocis primum inveniatur et num ad certum epigrammatum genus spectet. Apud Leonidam eam in epigrammatis dedicatoriis (cf. ep. 1), sepulcralibus (cf. ep. 5), eroticis (cf. ep. 20), demonstrativis (cf. ep. 91), philosophicis (cf. ep. 97) legimus. In epigrammatis bucolicis (epp. 50—60 = 78 v.) decies eadem vocabula repetuntur, sed voculatio numquam varia est nisi in 57, 1, 2 (*ποτ ἄγρους, απ αγρῶν*). Ut exemplnm afferam, in 55 (IX 329) olitor Timocles a Nymphis petit, ut hortum

irrigent, se dona semper eis laturum esse pollicetur. Carmen bucolicum esse nemo est qui non cognoscat. Tres formas vocis *κᾶπος* in epigrammate legimus et omnes ictum in priore syllaba habent. Poeta igitur in carminibus bucolicis cavit, ne ictum alia in syllaba vocis repetitae poneret. Ut Leonidam ita Callimachum variam voculationem in epigrammatis bucolicis evitavisse ex epigrammate 22 (VII 518) Callimachi cognoscitur. In illo carmine Astacidam Cretensem a Nymphis raptum sacrum esse poeta narrat, itaque, pastores poeta alloquitur, non iam Daphnidem celebrabimus, sed Astacidam. Illum personam fabulae, ut Gerckius (Philol. 49, p. 654) et Haeberlinus (Mus. Rhen. 54, p. 144 adn. 3) suspicati sunt, non esse Reitzensteinius (Epigramm u. Sk. p. 255 adn. 1) ostendit. Callimachum sub illo nomine Lycidam (cf. Theocr. id. VII 12 sq.), cuius verum nomen Dosiades erat, significare velle Ribbeckius (Ann. Bor. 32, 79) aliique viri docti putaverunt; quos valde errare Susemihlio (Griech. Lit. I p. 184) assentior, qui negat Cyrenaeum vel Theocritum (quo anno epigramma compositum sit, nescimus) loco falsi nominis novum nomen falsum posuisse, neque enim quisquam novum nomen recte interpretari poterat. Quamobrem sub nomine Astacidae poetam bucolicum Cretensem, quem non novimus, intellegendum esse ex argumento bucolico epigrammatis suspicor (nam poeta Daphnidem nominat, pastores socios suos alloquitur). Talem sententiam ineptam esse Wilamowitzius (Textgesch. d. griech. Bukoliker, p. 176 adn. 1) dixit, qui Astacidam pastorem fuisse censebat, quasi quilibet pastor mortuus a Nymphis raptus esse tunc putaretur. In epigrammate nomen Astacidae diversis locis ter, *οὐκέτι* versu in tertio bis legimus, sed semper eaedem syllabae vocum repetitarum ictum habent. — Deinde in epigrammatis bucolicis Leonidas saepius voces repetit quam in aliis carminibus, nam in 78 versibus bucolicis Tarentini decem, in 80 versibus alii generis octo repetitiones inveniuntur. Itaque Leonidas et Callimachus (ep. 22) studuisse putandi sunt, ut stilum bucolicum cui talia artificia propria sunt (cf. Theocriti idyllia. — Gimmium, de Vergilii stilo bucolico Diss. Lps. 1910), imitarentur. — Poetas in eroticis versibus

quoque, qui ut epigrammata bucolica a poesi melica non longe distant, libenter easdem voces posuisse e Callimachi carminibus cognoscimus. Nam in 72 versibus eroticis 18, in 196 ceteris versibus — 11 repetitiones habemus; voculationem poeta in eroticis versibus non saepius (quinquies) quam in ceteris (ter) mutavit. Asclepiades autem in 132 versibus eroticis 12, in ceteris 40 versibus 4 repetitiones praebet, in eroticis epigrammatis igitur repetitionem eiusdem vocis non saepius habet quam in ceteris; voculationem quoque non diligenter tractat, quia in quinque exemplis (41 %) voculationem non mutavit, quamquam aliam rationem non sequebatur. Poseidippus repetitiones in eroticis versibus anteposuit, nam in 46 eroticis versibus sex, in ceteris 74 versibus tres repetitiones legimus, sed voculationem in eroticis epigrammatis non aliter tractat atque in aliis. E paucis eroticis versibus Hedyli nihil colligi potest. Apud Mnasalcam, Niciam, Philetum, Aratum perpaucae repetitiones inveniuntur. Varia voculatio verbi repetiti ad certum epigrammatum genus non spectat, in bucolicis autem carminibus evitatur; in versibus eroticis bucolicisque plures repetitiones inveniuntur quam in aliis. In epigrammatis et bucolicis et eroticis, quae ad poesim melicam prope accedunt, ictus in eadem syllaba vocis repetitae ponitur, ut is qui legit de melicis carminibus admoneatur. Si ictus alia in syllaba vocabuli repetiti collocatur, repetitio non conspicua est, sed mirum in modum aures tangit.

Nunc quarendum est, qua aetate illud elegans artificium primum in epigrammatis inveniatur. In prioribus epigrammatis (Erinnae, Anytae, Simmiae, ut versus Anacreontis, Simonidis aliorumque, qui fere omnibus hoc in opusculo tractatis artificiis carent, omittam) voculatio in voce repetita non mutatur; sed in duobus eroticis epigrammatis, quae sub nomine Platonis tradita sunt (VII 669, 670), artificium adhibitum est. Erotica epigrammata omnia a philosopho abiudicanda esse Reitzensteinius recte demonstravit, ergo Leonidam id artificium primum in epigrammatis adhibuisse puto.

B. Praeter repetitionem eiusdem vocis poeta aliis artificiis utitur, ut versum elegantem reddat. In multis epigrammatis

Leonidae artificia leguntur, quae, quamvis inter se distent, ad id unum spectant, ut similis sonus verborum vel versuum efficiatur. Itaque interdum vox invenitur, cuius sono is qui legit de vocabulo admonetur, quod in eodem vel in priore versu eiusdem epigrammatis iam audiverat. Leonidas haec exempla praebet: 2, 1 *αἴδε, οἴδε* (VI 131); 5, 1, 2 ***οὔδε δικαῖοι, οἴδε δικαῖοσυνῆν*** (VII 654); 18, 2 *αχαρῖν χαριτᾶ* (IX 322); 18, 5 *μετῶπου, προσῶπ(α)*; 42, 10 *Βᾶκχου, Βᾶκχιακὸν* (XVI 306); (62, 3 *λεῖκοοπῶρος, εφῶριος*, 5 *οπῶρην* IX 563); 65, 4, 5 *αἴγινομῶν, αιγῶν* (VI 221); 70, 3, 4 *λαχανῆλογω, λαχανῶν* (IX 318); 75, 10 *εὔσιπνοῦς, ολιγῆσιπυῶν* (VI 228); 77, 4 *αὔλους, αὔλοδοκῆν* (V 205); 84, 7, 8 *τέχνας, τέχνοσυνᾶς* (VI 4); 92, 6, 8 *ἔσχαρεῶν, επέσχαριὸν* (VII 648); 97, 11 *ψιλῶϑρω απέψιλῶμενον* (VII 472). Plurimum voces ictum eadem in syllaba habent, quia, si voculatio varia esset, similitudo obscura esset; sed ictu eadem in syllaba posito is qui legit de similitudine vocum admonetur. In 31, 42, 97 variam voculationem habemus (22 %). In extremo disticho epigrammatis XII 43 (28) Cyrenaei voculatio lepide mutata est (*καλὸς καλος ἄλλα, φῆσι τις ἄλλος*). Apud Theocritum in duobus epigrammatis voces similiter sonantes legimus [IX 437, 10, 11 *ἄχευσῖν, ἄνταχεῦσι* (4); VII 661, 3? *ξεινῆς ξενον ὄντα* (11)]. Asclepiades haec exempla praebet: V 6, 2 *ἤξειν κοὔχ ηκεῖ*; V 149, 1, 3 *ηξεῖν, κοὔχ ηκεῖ*; V 161, 3 *οἴχομ Ερῶτας ολῶλα διοἴχομαι*; V 163, 3 *κλῆϑεις οὔκ ακλῆτος* (XII 120, 2, 3 *χἄλκος, χἄλκευς*). Samium illa vocabula non diligenter tractavisse inde cognosci potest, quod eaedem voces, quarum voculationem poeta in V 6 mutavit, in V 149 ictum eadem in syllaba habent. Leonidas operam dedit, ut similitudinem verborum augeret, ictum enim eadem in syllaba vocum similiter sonantium posuit.

In exemplis commemoratis semper duo vocabula erant, quae similiter sonabant; apud Leonidam etiam versus invenimus, ubi complures pedes similem sonum praebent. Veluti in altero hemistichio utriusque pentametri epigrammatis VI 131 (2) duo vocabula leguntur, quorum prius quattuor, alterum tres syllabas habet; ictus in eisdem syllabis vocabulorum invenitur, voces, quae hemistichium inchoant, primam syllabam communem habent,

voces, quae versum terminant, duabus in syllabis easdem vocales praebent. His rebus hemistichia similiter sonant:

στοιχηδον ξεσται || *τ ἄμφιβολοἴ* | *καμακἔς*
Παλλαδι τους δ ο μελας || *ἄμφεχανἔν* | *θανατὄς.*

In tertio versu epigrammatis IX 322 (18) utrumque hemistichium a tribus vocabulis expletur, in secundo et in quinto pede syllaba *τοι*, in tertio atque in sexto vocalis *ω* ictu effertur; in primo pede vocalis *α*, in quarto dipthongus *αι*, quae similiter atque *α* sonat, ictum habet. In utroque hemistichio primum vocabulum est adiectivum, alterum particula. Ne aequa structura hemistichiorum nimis dilucida sit, enuntiatum in versum sequentem transit, nam primum locum pentametri substantivum explet, quod cum verbis extremis versus hexametri coniungendum est et voci *κῶνοι* respondet; id *ἄσπιδες* diaeresi ab enuntiato sequenti separatur:

ἄκλαστοἴ μεν κὤνοι || *αναἵμακτοἴ δε γανὤσαι*
ἄσπιδες, | *ἄκλαστοἴ* || *δ αἴ κλαδαραἴ καμακἔς.*

Hoc in epigrammate similis sonus in eodem ordine vocalium ictu elatarum nititur. — Quid poeta voluerit, e X 1, 6, 8 quoque perspicuum est. Uterque versus a vocativo inchoatur, quem monosyllabon sequitur; deinde duae voces leguntur, quae utroque in versu eaedem sunt, sequitur syllaba similiter sonans (*εφ*, *επ*), exitum explet substantivum, quod in *ην* cadit. Itaque poeta non satis habuit in versu octavo voces, quibus iam in sexto versu usus est, repetere, sed verba similiter collocavit atque syllabas fere eundem sonum habentes adhibuit. Hunc in modum similitudinem soni poeta assecutus est:

ναὔτιλε | *καἴ* | *πλωοἴς* || *πἄσαν εφεἴς οθονἢν*
ὤνθρωφ | *ὤς* | *πλωοἴς* || *πἄσαν επ ἔμποριἢν.*

Poetam de simili sono versuum gavisum esse e his exemplis quoque apparebit, quorum nonnulla accurate tractata sunt in extremo capite:

VII 316, 2, 4 (39) *εἴπων,* | *μἢθ οστἴς* || *μἢ* | *τινος ἔξετασἄς*
σἴγη, | *μἢδ ουτὤς* || *ἢν* | *ανυεἴς τελεσαἴς.*

VII 472,3,4,5(97) *τίς μοιρᾰ* ***ζωῆς*** *ὑπολ***εί***πεται* ***ῆ*** ⏑⏑–⏑
στίγ*μη καί στιγμῆς* ***εί*** *τι χαμ***ῆ***λοτερὂν*
μίκρ*η σεῦ* ***ζωῆ*** *τεθλίμμενη* –⏑⏑– -
6, 12 *ῆδει ᾰλλ εχθρ***οῦ** ‖ ***στῦγνοτερῆ*** *θανατ***οῦ**
*πὂλλω αρᾰχναι***οῦ** ‖ ***στῦγνοτερὂν*** *σκελετ***ὂυ**
7, 11 *ἓκ τοιῆς ωνθρῶποι* ***απῆκριβῶμενοι*** *ὂστων*
οἶον *τὂ ψιλῶθρω* ***απὲψιλῶμενον οἶον***
VII 480, 1, 3 (32) ***ῆδη*** | *μεῦ* | *τετρῖπται* | ***υπὲκ****κεκαλῦμμενον ὂστευν*
ῆδη | *καί* | *σκωλῆκες* | ***υπὲκ*** *σορου ᾰυγαζὂνται*
VII 480, 2, 4 *ᾰρμονιῆ* | *τ ωνὲρ* ‖ *πλᾰξ* | ***επικὲκλιμενῆ***
ῆμετερῆς | *τι πλεὂν* ‖ *γῆν* | ***επιὲ****ννυμεθᾰ*
VII 480, 6 *ᾰνθρωπ***οί** ***κατ εμῆς*** ‖ *νίσομεν***οί** ***κεφαλῆς***
VII 736, 1, 3 (91) ***μῆ*** | ***φθειρεῦ*** | *ωνθρῶ***πε** ***περί****πλανιὂν* ⏑⏑––
μῆ | ***φθειρεῦ*** | *κενεῆ* ***σε περί****στεψαίτο* ⏑––
IX 320, 1, 3 (20) –⏑⏑––––⏑⏑ *ῆ λαβε* ***τεῦχη***
–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑ *αίεν* ***ατεῦχης***
320, 2, 6 –⏑⏑––– ‖ ***ᾰ*** | *πολις* | ***ὂπλο****μανεί*
–⏑⏑––– ‖ *χ***ᾰ** | *θεος* | ***ὂπλο****φορεί.*

C. Nunc ad figures vocales transeam.

a) In quarto versu epigrammatis VI 334 (53) Leonidae prius hemistichium syllaba *ταν* terminatur, alterum a nomine *Πάν* inchoatur, quae similitudo ictu, quem utraque syllaba habet, valde augetur. Syllabae sibi non plane respondent, nam prima litera diversa est:

*ὂς τε τον αίγιβο***τᾰν** ‖ ***Πᾰν*** ⏑⏑–⏑⏑–

Quod artificium Leonidas et in VI 120, 8 (52) et in VI 300, 6 (90) adhibuit, quae exempla (*γᾰρ* ***πᾰρ****θενος*; *σπον***δῆν** ***τῆν****δε*) a primo illo 53, 4 superantur, quia prima syllaba alterius hemistichii nomen proprium, monosyllabon, non pars vocis est. Leonidas elegantem collocationem non invenit, nam in VII 215, 6, quo de naufrago agitur, legimus *ῥαδι***νὰν** ***τάν****δε*, epigramma est — Anytae; simile exemplum praebet Nossidis ep. VI 275, 2 *κεκρύφα***λον** ***τόν****δε.* Quocum exemplo comparandus est et versus eroticus Callimachi 63, 2 (V 23) *ψυχ***ροῖς** ***τοῖσ****δε* et versus dedicatorius Hedyli VI 292, 6 *χρυσέ***ην** ***τήν****δε,* qui sexto in

4*

versu epigrammatis erotici V 198 hanc collocationem **στυλμῶν τῶν** habet. Anytam illam artem invenisse inde colligo, quod omnes poetae nisi Leonidas in initio alterius hemistichii formam aliquam pronominis *ὅδε* vel articuli ponunt; illi poetae igitur atque Leonidas in ep. 90, 6 poetriam accurate imitati sunt, Tarentinus autem, qui omnes artes vocales libenter adhibet, hanc quoque collocationem dilatavit atque elegantiorem reddidit. Exempla, quae in inscriptionibus quarti saeculi [Hoffmann (syllog. ep. Gr.) 78, 4 *ἀρετῆς* || *στῆσα* 103, 3 *ἄλλων* || *ὧν* 158 b, 2 *ἐκτελέσαι* || *λείπομαι*; nam versum (5. s.) 54, 2 *ἀλλ' αὖθε πὲρ* **γᾶς τᾶσδε** *πολλὸν ἀριστεύειν ἔθανεν* pentametrum esse nego] leguntur, fortuita esse probabile est. Ad certum epigrammatum genus artificium, quod et in dedicatorio et in sepulcrali et in erotico et in bucolico carmine invenitur, non spectat. Cum exemplis citatis ea conferenda sunt, ubi syllabae respondentes easdem vocales neque vero eundem numerum consonantium habent. Legitur artificium in erotico epigrammate apud Asclepiadam (V 163, 2 *Νικοῦς* **οὖσα**) et apud Cyrenaeum (63, 4 **ἐλέου οὐδ'** *ὄναρ*), in dedicatorio apud Mnasalcam (VI 268, 2 *εὐθή*ρ**ου τοῦ***δε*) et apud Leonidam (ox. pap. IV 662, 4 *ῥοδ*ί**ους τοῦς**), in epigrammate, quo pictura exponitur, apud Theocritum (1, 2 *κεῖται* **ταῖς**). Quia in duobus exemplis forma aliqua articuli, in uno forma pronominis *ὅδε* primam syllabam alterius hemistichii praebet, Anytam inventricem artificii fuisse confirmatur. Cum talis collocatio in epigrammatis hellenisticis perraro inveniatur (nam in 778 versibus pentametris tredecim exempla legimus), valde miramur, quod in uno epigrammate (53) Leonidae duo exempla extant. Nam in versu sexto syllaba extrema prioris hemistichii accuratissime respondet primae alterius: *Αἰακίδεω* || **δῶ***ρα*; adiungendi sunt hi versus Tarentini: IX 322, 2 (18) *ταύ***ταν τάν**: VI 205, 8 (83) *οὗ***τοι τοι**; VI 226, 2 *λι***τός θ' ὁ** *σχεδόν* (de quo versu dubitari potest). Et Callimachus (V 145, 4 *αὐ***ταὶ ταί** (51) et Asclepiades (V 206, 4 *κοί***της τῆς**) hoc artificium semel habet, quod e priore evenit, quia articulum fere semper (80 %) in altero disticho legimus. Alioquin forma articuli raro illum locum habet, veluti non saepius

quam in viginti pentametris Leonidae (7 %). Tarentinum, qui talia artificia libenter adhibuit, Anytam nova collocatione superare voluisse suspicor; nescio an Callimachus atque Asclepiades eum imitati sint.

b) Figura homoioteleuti semper aequus sonus vocabulorum efficitur. Si voces, quae in eandem syllabam cadunt, in illa ictum habent atque elatis versus locis leguntur, figurae magnum pondus inest. Itaque apud poetas epigrammatum homoioteleuton imprimis in exitu hemistichiorum pentametri versus invenimus. Ut VI 143, 2, quod epigramma ab Anacreonte abiudicandum esse verisimile esse mihi videtur (sed cf. Weber, Anacreontea, Diss. Götting. 1895), omittam, in paucis Bacchylidis versibus figuram legimus (VI 53, 4). Si hoc exemplum Bacchylidis, quamquam illum artes vocales interdum petere Blassius docuit (cf. praef. ed. quart. p. 29 sq.), fortuitum est ut exempla ex inscriptionibus tracta (cf. Hoffmann, sylloge epigr. Graec. 9a, 2; 56, 2; Preger, inscr. metr. Graecae 100, 4; 146, 2, 4), Anyte figuram, quam saepe [VI 153, 2, 4; VII 208, 4; 215, 4; 649, 4; IX 144, 4; XVI 228, 2; XVI 231, 4 (20 %)] praebet, prima cum ratione in epigrammatis adhibuit. Quod Anyte, quae in numero priorum poetarum hellenisticorum annumeranda est, homoioteleuto tam saepe utitur, eo magis miramur, quod Asclepiades (V 63, 6; 144, 4; 149, 2; 163, 4; 180, 6; 201, 2, 4; VII 217, 4; 500, 2; XII 163, 2), Callimachus (5, 4; 14, 2; 18, 2, 6; 20, 4, 6; 21, 6; 24, 2; 29, 2; 30, 4; 56, 2; 63, 2), Mnasalcas (VI 215, 4; 268, 4; VII 488, 2; IX 70, 2), Nossis (VI 132, 2; 354, 2), Poseidippus (V 210, 2; XII 45, 4; 131, 2; A. C. III 77, 4; 79, 8; 81, 2; V 15, 6) Simmias (VI 113, 2; VII 22, 2) figuram parce (11 | 10 %), Theocritus raro [(VI 340) 13, 4, 6; (VII 658) 15, 4 = 8 %] adhibet. Cum Asclepiades atque Poseidippus eroticis in carminibus artificium paulo saepius (13 %) praebeant, Callimachus homoioteleuto in versibus eroticis rarius utitur (8 %). Hedylus figuram libenter (V 198, 4; VI 292, 6; A. C. I 115, 6; III 67, 2, 4, 8 = 18 %), Leonidas crebro (1, 2; 6, 2; 8, 4; 9, 4, 8; 18, 8; 26, 2, 4; 31, 2; 32, 6; 33, 4, 6; 36, 2; 38, 2; 42, 2, 6; 43, 8; 45, 2; 46, 2; 49, 2; 51, 6; 56, 2; 59, 4, 8; 61, 2, 4; 64, 6; 65, 4; 67, 2;

68, 4; 71, 2; 72, 6, 8; 73, 2, 6; 75, 4, 6; 77, 4; 79, 2; 80, 4, 6; 81, 2; 84, 2, 4, 8; 85, 6; 88, 2; 89, 6; 90, 4; 91, 4; 92, 2; 94, 8; 95, 4, 6, 8; 97, 6, 12, 14, 16 = 21 %) Nicias saepissime (VI 122, 2; 270, 2, 4; VII 200, 2, 4; XI 398, 4; XVI 188, 4 = 40 %) adhibet. Apud Erinnam, Philetam, Aratum figuram scriptam non habemus. Homoioteleuton in exitibus hemistichiorum ad genus aliquod epigrammatum non attinet, praesertim cum Anyte, probabiliter inventrix, figuram et in bucolicis et in aliis versibus habeat.

c) Iam ad alliterationem transeam. Et in initio et in exitu primi versus Leonidae epigrammatis VII 163 (11) alliteratio legitur: *τίς τίνος* ... . *κίονα κεῖσαι*; figura elatis versus locis posita versum circumcludit. Quem ordinem alliterationis in his versibus Leonidae reperimus:

IX 322, 4 (18) *ἀσπίδες ἄκλαστοι δ' αἳ κλαδαραὶ κάμακες.*
VII 719, 2 (23) *τῆνον τὸν πρᾶτον γνόντα γελοιομελεῖν.*
VII 449, 1 (37) *Πραταλίδᾳ παιδεῖον Ἔρως πόθον Ἄρτεμις ἄγραν.*

Cum alliterationem in 37, 1 (nominum propriorum causa) et in 23, 2 (articuli causa) fortuitam esse censeam, alliteratione similis sonus verborum in 18, 4 confirmatur. Cum extremo exemplo (37) eroticus versus Asclepiadae

XII 46, 4 *ὡς τὸ πάρος παίζεσθ' ἄφρονες ἀστραγάλοις*

comparandus est, quem cum ratione scriptum esse inde colligo, quod syllabae ab eadem litera inchoantes in initio versus ictu efferuntur, in exitu ictu carent. Magna cum elegantia voces in VI 149, 4 Callimachi (56) ordinatae sunt:

πιστεύω Φαίδρου παιδὶ Φιλοξενίδεω.

Deinde cum tria vel compluria verba eandem primam literam habent, alliteratione efficitur, ut ii qui legunt aures erigant. Exempla, ubi articulus vel id *καί* unum de tribus vocabulis est, inter dubia annumero. Quam speciem alliterationis in septem versibus Tarentini legimus: VII 652, 1 (4) . . . *θάλασσα τί τὸν Τιμάρεος* . . . (syllabae *τι* ictu carentes tertia syllaba, quae a litera dentali inchoat, perspicuae eveniunt), VI 13, 1 (73) *οἱ τρισσοί τοι ταῦτα τὰ δίκτυα* (voces similiter cadentes ab

eadem litera inchoant; adde figuram homoioteleuti *οἵ τρισσοί τοι, ταῦτα τὰ δίκτυα*); VI 13, 2 *ἀγρότα Πάν, ἄλλης ἄλλος ἀπ' ἀγρεσίης* (sonus polyptoti litera vocali *α* pergitur); VII 285, 1 (85) *τὸν τριγέροντα τόν* (similis sonus syllabarum *ρον*, *τον* alliteratione augetur). — IX 337, 4 *καὶ κυσὶ καὶ καλάμοις* (58. — repetitio vocabuli *καί* eodem initio substantivorum confirmatur). In VII 283, 1 (3):

τετρηχυῖα θάλασσα τί μ' οὐκ οἰζυρὰ παθόντα

alliteratio maxima cum elegantia adhibita est, nam eadem prima litera idem exitus vocabulorum *τετρηχυῖα θάλασσα* conspicuus est atque in eandem vocalem cadunt voces *οἰζυρὰ παθόντα*, quae extremum locum versus tenent, cum ea *τετρηχυῖα θάλασσα* in principio versus legantur; qua re versus vocabulis aeque cadentibus circumcluditur. In V 205, 3 (77) *Μηλὼ μὲν Μούσαις* figura est fortuita. Leonidas igitur hanc alliterationis speciem ad artifica vocalia augenda adhibuit. Callimachus, qui idem initium vocum *ταῖς τρισὶ τήναις* in V 145, 1 (51) non quaesivit, in XII 149, 2 (45) *τῇ τίνι; τῇ δεκάτῃ* dentalem literam repetivit, ut syllaba *τη* ictu elata magis in mentem eius qui legit veniat. (In quinto hymno exempla desunt.) Ut alterum exemplum Cyrenaei in erotico versu ita quattuor exempla, quae Asclepiades praebet, in epigrammatis eroticis inveniuntur. Idem principium eundem exitum vocabulorum conspicuum reddit in: V 84, 3 *τὰ τέρπνα τά*; V 184, 3 *καὶ κυφὰς καρῖδας*; XII 50, 1 *τί τὰ δάκρυα ταῦτα; τί πάσχεις*; in XII 135, 1 *οἶνος ἔρωτος ἔλεγχος ἐρᾶν* figuram fortuitam esse suspicor. Theocritus duo exempla (4, 16 *τοῦδε τυχὼν ἐθέλω τρισσὰ θύη τελέσαι* luditne poeta in literis dentalibus? 7, 2 *τύμβον τοῦδε θανὼν [ἔτυχες]*), praebet, in epigrammatis Anytae duas quoque alliterationes, quas cum ratione positas esse nego, legimus (VI 153, 3 *τἀθάνᾳ δὲ τὸ δῶρον*; VII 202, 1 *πάρος πυκιναῖς πτερυγέσσιν*). Cum apud Moiro, Niciam, Mnasalcam, Hedylum exempla desint, unum habet Bacchylides (VI 313, 1 *Κούρα Πάλλαντος πολυώνυμε πότνια Νίκα*), Plato? (VII 100, 2 *πάντῃ πᾶσι περιβλέπεται*), Nossis (VI 275, 4 *τοῦ τῷ καὶ τῆνα*), Poseidippus (V 182, 1 *ἐρωμένη ἔρχεθ' ἑκάστῳ*). Poetae igitur tres

voces sibi succedentes eadem prima litera perraro ornaverunt. Cum duae voces ab eadem litera inchoant, non facile diiudicari potest, utrum collocatio cum ratione posita sit an forte evenerit. In lusu verborum atque in polyptotis idem vocum initium figura fit; rationem autem alliterationis ponendae in vocabulis extare puto, quae syllabam similem sonum habentem praebent veluti in Leonidae epigrammatis hae voces: VI 205, 6 (83) *ὃ πρυτανὶς πελεκὺς* (voces anapaesticae similiter cadunt), VII 731, 4 (93) *ἢ πισυρᾶς ποιᾶς* (exitus est idem), in VII 163, 4 (11) *ἐξέδοσαν. — θνήσκεις δ' ἐκ τίνος; — ἐκ τοκετοῦ* similitudo interrogationis responsique augetur. Deinde alliteratio in iis versibus cum ratione posita est, ubi prima syllaba vocum complurium non modo idem initium, sed etiam ictum habet veluti in VI 204, 1 (82) *Πᾶλλαδι πῆχυν*; VI 4, 1 (84) *δοῦρατα δοῦλιχοἐντα* et in VI 334, 1, 2 (53) *πἔτρη — πῖδακες,* VII 657, 5, 6 (59) *ποῖμην — πἔτρης*; VII 506, 9, 10 (87) *ἧμων — ἧρανθ ἧμισυ,* ubi extrema vox praecedentis versus et prima sequentis ab eadem litera inchoant. Leonidas igitur alliterationem plerumque ad artem vocalem augendam adhibuit; figura sui ipsius soni causa raro utitur (cf. VI 204, 1 et cetera exempla). Apud Callimachum figuram cum ratione positam non saepe invenimus, in XII 139, 1 (44) *ἔστι τι ναὶ . . . . ἔστι τι ταύτῃ* similis sonus syllabarum *τι* literis dentalibus confirmatur; in VI 146, 2 (53) *εὔλοχος ὤδινῶν ὧδε συν εὐτοκιῇ* vocalibus *ω* dolores pinguntur, diphthongo *ευ* bonus eventus parturae fortasse describitur; in XII 118, 1 (42) *μῦρια μἔμφου* alliteratio sua ipsius causa collocata esse videtur. An Theocritus, quem artificia vocalia in epigrammatis evitare vidimus, alliterationem cum ratione adhibuerit, valde dubito (IX 599, 3 (17) *εἶκον εἶδον*; VII 664, 1 (22) *ὗμιν υἷον* — VII 160, 3, 4 (9) *πὄλλας — πἄτριδος*). Apud Samium quoque perpauca exempla legimus (VI 180, 9 *αὔριον αὖτα,* XII 46, 1 *κεῖκοσι καἷ κοπιῶ*). Callimachum, Asclepiadam, Theocritum alliterationem rarius quam Tarentinum posuisse apparet.

D. Epigramma VII 466 (14), quo Leonidas imprimis vocalibus quid voluerit assequitur, accuratius tractabo, quia me confirmaturum esse spero, quanti momenti interpretatio artifi-

ciorum vocalium sit. — Mater de filii morte verba facit, poeta operam dedit, ut maerorem matris praecipue exprimeret. Nam ea nimis de se ipsa et parum de puero queritur (cf. v. 1 *δειλὴ δ' **ἐγώ*** v. 2 *πυρωσαμένη* v. 3, 4 ***ἐγὼ** . . . . κλαίω γῆρας ὀδυρομένη* v. 5, 6 *βαίην εἰς Ἄιδος δόμον οὔτε **μοι** ἠὼς ἥδεῖα* v. 8 *ζωῆς ἔκ **με** κομισσάμενος*). Vocales longae questus et maerorem matris pingunt (cf. Norden, Aeneis VI, p. 412). Quam rationem cum versus primus praecipue ostendit, ut is qui legit aures erigat, tum in versibus sequentibus vocales longae in exitu vel in initio versuum repetuntur, quia ii loci sunt notabiles. Ut numeris utar, e tribus partibus syllabarum, quae ictu efferuntur, duae vocali longa ornatae sunt, quartam partem vocalium elatarum praebet *η*. (In epigrammate sepulcrali VII 655 (16) fere tote longae vocales quot breves acuuntur neque ulla excellit.) Rationem maeroris praecipue vocalibus pingendi haec tabula illustrabit:

ἄͯ δειλ Αͯντικλεῖͯς δειλῆͯ δ εγω ῆͯ τον εν ῆͯβης
  ἄͯκμη καῖͯ μουνὄͯν παῖͯδα πυρῶͯσαμενῆͯ
ὄͯκτω καῖͯ δεκετῆͯς ος απῶͯλεο τἔͯκνον εγῶͯ δε
  ὄͯρφανιὄͯν κλαιῶͯ γῆͯρας οδῦͯρομενῆͯ
βαῖͯην εῖͯς Αιδὄͯς σκιερὄͯν δομον οῦͯτε μοι ῆͯως
  ῆͯδει οῦͯτ ακτῖͯς ῶͯκεος ῆͯελιοῦͯ
ἄͯ δειλ Αͯντικλεῖͯς μεμορῆͯμενε πἔͯνθεος εῖͯης
  ῖͯητῆͯρ ζωῆͯς ἔͯκ με κομῖͯσσαμενὄͯς.

Leonidae carmen Antipatro (VII 467) et Meleagro (VII 468) exemplo erat; Antipater matrem de morte filii parvi maerentem facit, neque vero exemplar superat. Tarentinus matrem accurate, quin etiam pro sepulcro filii nimis accurate describit, sed mortem cari filii, non alterius pueri, fleri cognoscimus. Vocabula ut *βαίην, ἠώς μοι οὐχ ἡδεῖα* taliaque in carmine et Meleagri et Antipatri plane desunt. Filium, cui parentes tantopere prospexerant, eo isse, unde nemo reverteretur, apud Antipatrum legimus; quam sententiam infirmam quin etiam detritam esse nemo est qui neget. In exitu quoque nihil novi invenitur. Meleagri carmen argumento proprio magis caret. Mater, quae filium indusio funereo induit, maerorem et dolores describit et

in exitu, quomodo aequales, parentes, viatores de morte pueri sentiant, dicit. Hoc quoque carmen ab epigrammate Leonidae superatur. Nunc quaeritur, quemadmodum artes vocales adhibitae sint. Apud Antipatrum figuram et conduplicationis et anaphorae invenimus (vv. 5, 6 *ἐς γάρ*; v. 3; verbum *ὤλετο* (vv. 3, 4, 5), quia vocalis longa ictu elata est, magni momenti est). Vocales longae non praevalent, sed et spondeis in versu tertio atque septimo positis et anaphoris gravitatem pingere poeta conatur. In VII 468 plures longas quam breves ictu elatas vocales invenimus neque vero ulla vocalis excellit; complures spondeos legimus (cf. v. 7), qui fortuito facti esse possunt, quia spondei rhythmi lenis causa a poetis hellenisticis libenter ponuntur. In disticho extremo in vocalibus *οι* vel *ευ* ludere poeta videtur, verbo *ποθεῖν* respondet *πενθεῖν*. Cum Leonidas (v. 1, 7) atque Antipater figura anaphorae ad dolores pingendos utantur, ut Meleager voces *ἰώ* et *αἰαῖ* ita Asclepiades particulas *ἰώ* et *φεῦ* in epigrammate XIII 23 iambico adhibet, in quo maerorem patris describere vult; quam rationem e primo disticho (*ἄκουσον τὰ Βότρυος κήδη*) cognoscimus. Cum una cum filio multos labores parentum perisse apud Antipatrum legamus, hic mors pulcram misericordiam habet, quod puer et multa iam didicerat neque voluptatum particeps fuerat. Quam sententiam, quae ad auctorem multorum epigrammatum eroticorum et sympoticorum bene apta est, apud Samium primum legimus. Quin poetae omnes operam dederint, ut questus sono pingerent, dubium non est, sed eos aliam quoque rationem secutos esse suspicor. In omnibus epigrammatis mortuus a dicentibus nominatur (VII 466, 1; VII 467, 1; 468, 1—XIII 23, 5) atque dolores matris vel patris magis minusve dilucide describuntur (in Leonidae, Meleagri, Antipatri epigrammate mater, apud Samium pater maerorem enarrat). Hoc alloquium mortui in lamentationibus funebribus, quae in Homeri Iliade scriptae sunt, reperimus. In libro *Ω* mulieres Andromacha (v. 725—745), Hecuba (v. 748—759), Helena (v. 762—775) Hectorem, quem in lectica situm deflent, primis in vocabulis alloquuntur (v. 725 *ἆνερ* v. 748, 762 *Ἕκτορ*); deinde questus (v. 287—300) Briseidis

(19, 287 *Πάτροκλε*) atque Andromachae (22, 477—514; v. 477 *Ἕκτορ*) ad comparationem afferendi sunt. Lamentationibus et in XXII et in XXIV libro scriptis uxor Hectoris describit, quam in adversas res morte mariti inciderit (cf. XXII 477 *Ἕκτορ, ἐγὼ δύστηνος* XXIV 742 *ἐμοὶ δὲ μάλιστα λελείψεται ἄλγεα λυγρά*), Helena quoque aegerrime fert, quod amicum amisit (*τῶ σέ δ' ἅμα κλαίω καὶ ἔμ' ἄμμορον ἀχνυμένη κῆρ* XXIV 773), Briseis se ipsa magis dolet quam Patroclum (XIX 287, 290 *Πάτροκλέ μοι δειλῇ πλεῖστον κεχαρισμένε θυμῷ*; 290 . . . *ὥς μοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί*). In illis lamentationibus Iliadis mulieres mortuum semper alloquuntur atque copiosius describunt, quantopere patiantur, quam id, quod mortuum mature ad inferos profectum doleant. Deinde semper mulieres sunt, quae nenias faciant; morem fuisse, ut mulieres id facerent, et e libro extremo Odysseae (v. 58 sq. *ἀμφὶ δὲ σ' ἔστησαν κοῦραι* . . . *οἴκτρ' ὀλοφυρόμεναι*) et e Callimachi quinto hymno (v. 93 sqq. *ἄγε μὲν ἀμφοτέραισι φίλον περὶ παῖδα λαβοῦσα ἁ μάτηρ γοερᾶν οἶτον ἀηδονίδων ἄγε βαρὺ κλαίοισα*) discimus. Quamobrem epigrammatum poetas studuisse puto, ut non modo questus sono pingerent sed etiam usitatas lamentationes funebres imitarentur; quam rationem Leonidas elegantissime perfecit, quem artificiis suis assequi voluisse puto, ut epigramma cum carminibus melicis compararetur.

E. Ut recte cognoscamus, quam saepe Leonidas artificia vocalia adhibuerit, carmina Asclepiadae, Callimachi, Theocriti ad brevem comparationem afferam.

In Asclepiadae carminibus artificia vocalia perraro inveniri iam vidimus; etiamsi omnia Samii epigrammata perlustramus, non multa legimus. Hemistichia pentametrorum saepe in eandem syllabam cadere mirum non est, neque enim homoioteleuton in versu, qui interdum a quattuor vocabulis expletur, vitari potest. Sed ut tale homoioteleuton ita alia artificia vocalia in poematis eroticis saepius leguntur quam in aliis (cf. anaphoram in V 168, lusum verborum in XII 46, 2; 50, 1, eandem syllabam in media parte pentametri in V 206, 4; 163, 2, alliterationem in V 84, 3; 184, 3; XII 50, 1; 135, 1). Me id recte

observavisse e carminibus eroticis Callimachi, praecipue e V 23 (63), XII 118 (42), 139 (44), cognoscimus. In V 23 initium versus primi similiter sonat atque principium versus tertii:

οὕτως ‖ *ὑπνώσαις* ‖ *Κωνώπιον* ‖ *ὡς* ‖ *εμε ποιεις*
οὕτως ‖ *ὑπνώσαις* ‖ *ἀδικώτατη* ‖ *ὡς* ‖ *τον εράστην.*

In secundo versu hemistichia in eandem syllabam cadunt; verbo *κοιμᾶσθαι* (v. 2) respondet *κοιμίζοις,* quod eodem loco versus quarti legitur. Vocabulum *οὐδείς* in quinto versu fere eundem locum tenet atque in tertio, ea *οὐδ ὄναρ* et in versu quarto et in quinto scripta tenemus. — Sicut V 23 est XII 118 peraclausithyron, quod vocatur. Carmen vocibus similis soni abundat. Nam Wilamowitzius in versu altero *τὴν προπετείαν ἔα* recte legit (cf. G. Kaibel, epigr. Graeca. ep. 502). In primo versu syllaba *εκω* verbi *ἐπεκώμασα* similiter sonat atque *ἑκών*, in *μύρια μέμφου* alliterationem habemus; in versu altero illi *ἄκων* succedit non *ἦλθον*, sed *ἥκω.* In altero hemistichio secundi versus eadem vocabula in eadem collocatione leguntur atque in altero hemistichio versus quarti (nam infinitivus *ἐᾶν* ab imperativo *ἔα* non multum differt); extremo verbo versus quarti respondet exitus prioris hemistichii eiusdem versus (*ἐᾶν, εἴα*), in versu quinto *ἐβόησα* et *ἐφίλησα,* quae verba elatis locis posita sunt, similiter cadunt. Artificium vocale in extremo versu quoque legimus: *ἀδίκημ', ἀδικῶ.* Poeta igitur hoc in carmine de vocibus similiter sonantibus gavisus esse videtur. In XII 139 (44) illustriter describit, quomodo amorem appropinquantem sentiat. Initium poematis est hoc:

ἔστι τι ναὶ τον Πᾶνα κεκρυμμενον ἔστι τι ταύτη
ναὶ μα Διώνυσον – ◡ ◡ – ◡ ◡ –

(Deinde cf. carmen eroticum XII 230, 1, 2: *εἰ μὲν ἔμ' ἔχθει; εἰ δὲ φιλεῖ, φιλέοις.*) Si artificia vocalia apud Callimachum in universum contemplamur, figura homoioteleuti quidem in epigrammatis eroticis rarius (8 %) quam in aliis (10 %) legitur, sed alliterationem in epigrammate erotico XII 149 (45) et in V 145 (51), quod ab eroticis carminibus non multum differt, reperimus; mediam partem pentametri eadem syllaba tenet in

V 23, 2, 4 (63) et in V 145, 4 (51), anaphoram nusquam scriptam tenemus nisi in eroticis poematis, deinde talia artificia qualia in epigrammatis eroticis tractatis alioquin nusquam leguntur (cf. praeterea in epigrammate erotico XII 43 (28) similem exitum hemistichiorum versus sexti ἠχώ, ἔχει). Tum poeta legem quartam Meyeri, quam in hymnis semper observat, in V 6, 2 (25) soni similis causa negligit (μήτε φίλον || . . . μήτε φίλην). Postremum in epigrammatis eroticis easdem voces libenter repetit. Quibus e causis Callimachum artificia vocalia in carminibus eroticis atque bucolicis (cf. ep. 22) saepius adhibere quam in aliis constare mihi videtur; artificiis, quae in epigrammate erotico V 23 (63) cumulavit, magis perspicue utitur Samio, quem in eroticis versibus ea saepius praebere iam ostendimus. Nam epigrammata erotica ad poemata melica prope accedunt. — Theocritum talia artificia in epigrammatis evitare iam suspicati sumus; ne in bucolicis quidem artificia vocalia inveniuntur, quae in idylliis saepe leguntur. Qua cum re consentit, quod in epigrammatis Theocriti peculiarem ordinem verborum (voces secum coniungendae vel in initio vel in exitu hemistichiorum pentametri positae sunt vel versum circumcludunt) raro invenimus (16 % — apud Mnasalcam 50 %).

Leonidam artificia vocalia multo saepius Callimacho adhibere in interpretatione singulorum artificiorum iam cognovimus. Ut Cyrenaeus carmina erotica atque bucolica, quae ad poesim melicam prope accedunt, artificiis vocalibus magis ornat quam alia, ita Leonidas carmina bucolica aliter tractat atque cetera. Nam easdem voces in eodem epigrammate bucolico libenter repetit et cavet, ne ictum alia in syllaba vocis repetitae ponat. Deinde Leonidas non in omnibus carminibus artificiis vocalibus utitur; neque vero colligi potest eum in carminibus, quae in adulescentia composuit, artificia rarius adhibere quam in posterioribus. Nam in epigrammate VI 334, quod ante annum 294 compositum est, multa artificia legimus (v. 2; 4; 6), in epigrammate VI 129 quoque, quod ante annum 280 compositum est, compluria artificia habemus (v. 1, 2; v. 2; 4). Artificia vocalia desunt in VII 295, 504, 506! In illis carminibus mors

piscatorum narratur; Theris (VII 295) in casula sua placide diem supremum obiit, Parmi (504) piscis captus, quem in dentibus tenuit, in guttur lapsus mortem attulit; Tharsys (506, cf. p. 63 sq.), qui ancoram tollebat, a pistrice usque ad umbilicium voratus est, dum piscatores truncum in navem trahunt. Argumentum epigrammatum in fabellis quoque tractatum esse verisimillimum est. Leonidas in epigrammatis suis artificia evitavisse videtur, quia fabellae eis ornatae non erant. Deinde in epigrammatis iambicis poeta cavit, ne artificia vocalia poneret. Et ep. 96 (Stob. flor. 120, 9) et VI 211 (41) et VII 455 (34) artificiis caret, quae fortuita sunt in XVI 307 (28), ubi *μελι̌σ***δεται̌ δε** *τα̌ν* legimus, et in XVI 182 (29), ubi *ἐκλάμβει* in versu sexto eundem locum tenet atque *ἐκθλίβει* in quinto et in versu octavo vocalis *α* praevalet. In epigrammatis iambicis Callimachi quoquo artificia vocalia plane desunt. Qua de causa epigrammata iambica artificiis careant, non apparet. Leonidas igitur non temere omnibus in epigrammatis artificia adhibuit, sed secum meditatus est, num ea ad epigramma apta essent. Multo saepius quam alii poetae, qui aetate eius epigrammata composuerunt, artificia adhibet: eum primum in epigrammatis artificiis vocalibus cum ratione usum esse inde colligo, quod ea apud Anytam Asclepiadamque perraro inveniuntur.

Caput sextum.

Leonidae ars nonnullis epigrammatis illustratur.

In Leonidae epigrammate VII 506 (87) piscator formidulosam mortem suam (nam a pistrice usque ad umbilicium voratus est) simplicem in modum enarrat, sine verbis terroris, sine questibus, quamquam haec mors satis horribilis est. Postquam in disticho extremo viatori nuntiavit ossa sua hic sita esse, postremum dicit: In patriam non revertor. Virum doctum G., qui scribit: Die Pointe, welche der Bericht eines solchen Ereignisses unmittelbar an die Hand gab, hat Leonidas übrigens auch nicht gerade besonders künstlich ausgeführt (p. 117), errare puto. Nam mea quidem sententia non de descriptione illius rei sed de poetae ioco, qui rem gestam urbana cum hilaritate narrat, agitur. Acumen, quod (ut verbis viri docti utar) enarratio ipsa offerebat, in primo versu legitur: *Κῆν γῇ καὶ πόντῳ κεκρύμμεθα.* Hoc in enuntiato acumen inesse Hegesippus quoque putabat (VII 276), qui de sepulcro partium corporis disputat. Illam sententiam Leonidas in principio collocavit, ut eum qui legit stupentem redderet. Id acumen (si de hoc G. verba facit — aliud enarratio ipsa vix offerebat) bene positum atque lepide tractatum esse puto. Nunc is qui legit causam enuntiati proprii exspectat, sed mortuus dicit: hoc perversum confecit Tharsys. Poeta nomen proprium cum ratione in initio carminis collocavisse mihi videtur, nam eis qui legunt statim exponere vult mortuum de morte formidolosa non maestum esse, sed quasi gloriari. Nunc describitur, quomodo Tharsys ancoram tollat, ille se ipse laudat vocabulo *ἔσωσα* et pergit: Mea cum calamitate ad summum mare veni, nam — voratus sum (in initio versus verbum

ἐβρώθην legimus). Nondum apertum est, qua de causa Tharsys et in mari et in terra sepultus sit; nihil narratum est nisi mors. Statim autem a pistrice se *ἐπ' ὀμφαλίου* (in versus fine!) voratum esse mortuus dicit. Haec res in disticho sequenti copiose describitur, truncum sodales servabant („onus frigidum" mortuus loquitur, non immodice maeste, alius dixisset: onus horribile, onus mutilatum). Et ex hac propria affectione animi mortuus dicit: in patriam non revertor. (Hanc sententiam nostra voce Galgenhumor notaremus.)

In epigrammate 22 (VII 35) elatis versus locis quattuor trium syllabarum vocabula, quae et pedem dactylicum explent et similiter cadunt, inveniuntur:

> ***ἄρμενος*** *ἦν ξείνοισιν ἀνὴρ ὅδε* ***καὶ φίλος*** *ἀστοῖς*
> ***Πίνδαρος*** *εὐφωνῶν Πιερίδων* ***πρόπολος***

Id *ξείν**οισιν*** voci *ἀστ**οῖς*** in sono quoque respondet, bona collocatione in versu pentametro facta (Ab|Ba) et versus circumcluditur vocibus coniungendis et homoioteleuton augetur et nomina propria elatis versus locis ponuntur.

In epigrammate VII 316 (39) mortuus viatorem praeterire iubet. Ut iussi severitas augeatur, quattuor e quinque particulis *μή* acuuntur, quae ratio multis vocalibus *η* elatis confirmatur. Deinde verba *μήθ' ὅστις* (v. 2) et *μηδ' οὕτως* (v. 4) eundem versus locum tenent; utrique vocabulo, cui caesura divisum novum enuntiatum, quod a vocabulo monosyllabo (*μή*, *ἤν*) initium capit, succedit, vox spondiaca (*εἰπών*, *σιγῇ*) praecedit. Voces *εἰπών* et *σιγῇ* contrariam sententiam habent, qua re enuntiata bene distinguuntur. Et primus et tertius versus caesuram bucolicam praebet in altero disticho ea *ανυεῖς τελεσαῖς* bis leguntur, verba pedem anapaesticum explent atque similiter cadunt; et in tertio et in quarto pede monosyllabon elata vocali *η* ornatum praecedit:

> *τῆν επ εμεῦ στηλῆν παραμεῖβεο*|, *μῆτε με χαῖρειν*
> *εἴπων*|, *μῆθ οστῖς*, || ***μῆ*** | *τινος ἔξετασᾶς.*
> ***ῆ*** *μη* ***τῆν ανυεῖς τελεσαῖς*** *οδον*|· *ῆν δε παρἔλθης*
> *σῖγη*|, *μῆδ ουτῶς* || *ῆν* ***ανυεῖς τελεσαῖς.***

In VII 472 (97) complures voces similem sonum habentes inveniuntur, quae aurem eius qui legit leviter attingunt. Et conduplicationem *μύριος, μύριος* (v. 1, 2 ambo vocabula elatis versus locis inveniuntur) et figuram *ὅσον ὅσσον* ad sententiam confirmandam scriptam esse suspicor; conduplicatione enim poeta utitur, ut infinitum esse tempus nemo sit qui non cognoscat; ad brevissimam vitam humanam describentem figuram alteram adhibet. Initia versuum sequentium similiter sonant, nam fere eaedem vocales sono elatae repetuntur atque similes literae consonantes inveniuntur (Versus citati sunt in p. 51). Versus sextus duodecimo similis est; in utroque prius hemistichium in *ου* cadit, sequitur forma eius *στυγνότερος,* extremum locum versus utriusque explet vox anapaestica, quae in *ου* quoque cadit (cf. p. 51). Etiam versus septimus atque undecimus similiter sonant, quinque vocabula utrumque versum occupant, extremum locum habet vox duarum syllabarum, praecedit participium, quod sex syllabas habet atque in easdem fere syllabas cadit; ante illam vocem legimus in utroque versu substantivum, quod molossum explet, in tertio atque in quinto pede utriusque hexametri *ω* acuitur (cf. p. 51). Spondei et dactylici in versu tertio decimo similiter atque in quinto decimo, in quarto decimo aeque atque in sexto decimo dispositi sunt:

v. 13 –́ – | –́ – –́ ‖ – –́ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ | ⏑ –́ –
v. 15 –́ – | –́ ⏑ ⏑ –́ ‖ – –́ ⏑ ⏑ | –́ ⏑ | ⏑ –́ –
v. 14 –́ – | –́ | – –́ ‖ –́ ⏑ ⏑ –́ | ⏑ ⏑ –́
v. 16 –́ – | –́ | – –́ ‖ –́ ⏑ ⏑ –́ | ⏑ ⏑ –́

Omnia haec artificia non oculis, sed auribus percipiuntur; itaque epigrammata nobis recitanda, non legenda sunt.

Appendix.

De epigrammate VII 662.

Theocritum epigramma 16 codicum composuisse veri simile non est. Nam et in editionibus Iuntae atque Calliergis deest et in Anthologia Palatina Leonidae datur. Multos sermones carminis in Leonidae Tarentini epigrammatis, interdum etiam eadem in sede versus reperiri Stadtmuellerus recte exposuit (A. P. VII 662). Similitudo est tanta, ut aut poetam, qui Tarentinum imitari volebat, aut Leonidam ipsum carmen composuisse appareat. Quia Leonidam se ipsum ita imitari non posse Stadtmuellerus persuasum tenet, carmen Leonidae Alexandrino tribuit. Adiectivum *δείλαιος* (eadem in sede versus VII 662, 3 et Leon. VII 654, 5), quod Stadtmuellero maximi momenti fuisse videtur, primum appellatur. Sed Leonidas saepius vocabulum, quod iam adhibuit, in alio epigrammate in eadem sede versus ponit. Veluti verbum *ὤλεσε* eodem loco epigrammatis VII 665, 3 et VII 503, 4 legitur. (Utrumque epigramma ad naufragum pertinet.) Deinde initium versuum VI 228, 5; 289, 6 substantivum *κερκίς* obtinet, quod appositio utroque in versu sequitur:

> **κερκίδα,** | **τὰν** *ἱστῶν μολπάτιδα, καὶ τὰ τροχαῖα*
> **κερκίδα,** | **τὰν** *λεχέων Πανελόπας φύλακα,*

Tum initium versuum VII 654, 6; 273, 6 comparari potest:

> *κέκλαυμαι,* | *τύμβῳ* **δ'οὐχ** *ὕπο Τιμόλυτος*
> *οἴχημαι·* | *ψεύστης* **δ'οὗτος** *ἔπεστι λίθος.*

Leonidas igitur eadem vocabula, quibus etiam similes enuntiati partes succedunt, interdum in compluribus epigrammatis adhibet. Deinde Stadtmuellerus has voces affert, quae eadem in sede

versus apud Leonidam reperiuntur: VII 662, 6 δαίμων (cf. VII 665, 5), 662, 6 θῆκε (VII 665, 8), γευσάμενος VII 662, 4 (cf. VI 302, 6 γενόμενος); VII 662, 3 ποθέουσα (VI 131, 3); v. 4 ἀστόργου-θανάτου (cf. VII 472, 6 ἐχθροῦ-θανάτου). Postremum verbum ᾤχετο et in VII 662, 1 et in VII 504, 8 legimus. Neque e voce δαίμων, quae non modo in VII 665, 5 sed etiam in V 187, 5 apud Leonidam invenitur, neque e verbo θῆκε, quod in forma θήκατο in VI 205, 10 quoque revertitur, neque e verbo γεύεσθαι, quod in forma participii praesentis in VI 120, 4 quoque legitur, quicquam colligi potest. Quamquam genetivus substantivi θάνατος nusquam reperitur nisi in VII 472, 6, nominativum in VII 731, 2; VI 131, 4 (eodem loco versus) scriptum habemus. Cum repetitione verbi ᾤχεσθαι iteratio supra commemorata verbi ὀλλύναι (VII 665, 3; 503, 4) comparari potest. Restat igitur participium ποθέουσα, quod nusquam apud Leonidam nobis occurrit nisi in versu a Stadtmuellero citato (VI 131, 3 etiam post verbum, quod molossum explet δέδμηνται π., δειλαίη π.). Sed verbum ἐστυφέλιξε eundem locum versuum VII 665, 4 et VI 35, 4 explet, utroque in versu accusativus vocis iambicae sequitur, adiectivum quod cum illo substantivo iambico coniungendum est, praecedit:

$\stackrel{\times}{-}\cup\cup\stackrel{\times}{-}$ κοιλῆν | ἐστυφέλιξεν αλᾶ.

$\times\cup\cup$ αἱμωποῦς | ἐστυφέλιξε λυκοῦς.

Alioquin verbum apud Leonidam non invenitur. Leonidam uno in epigrammate complures voces, quas alio in epigrammate iam in eadem sede adhibuit, repetere e VII 665 discimus. Neque ἐστυφέλιξε neque ὤλεσε alio in versu revertitur nisi in VII 665, 4 VI 35, 4; VII 665, 3 VII 503, 4; deinde cf. ad ἄθροον (v. 4) ἄθροα in VI 221, 3; ad δαίμων (v. 5) ὁ δαίμων in V 187, 5; ad τρηχεῖα θάλασσα (v. 7) τετρηχυῖα θάλασσα in VII 283, 1; ad ἐπ αἰγιαλούς (v. 8) ἐν αἰγιαλῷ in VII 652, 6, ubi vox eadem in sede legitur. Itaque Leonidam VII 662 non composuisse e talibus repetitionibus colligi non potest. At carmen in ordine dubioso VII 658—664, qui in Theocriti codicibus quoque legitur, scriptum tenemus; de quo ordine G. (p. 10 sq.) recte iudicavisse mihi videtur (cf. Wilamowitz, Text-

gesch. d. griech. Bukol., p. 114 sqq.). Inter epp. 657 et 665, quae Leonidae Tarentino sunt, nonnulla carmina, quorum primum (658) Theocrito tribuendum est, posita sunt. Postquam lemmati carminis 658 nomen Tarentini adiunctum est, lemmata sequentium epigrammatum ex arbitrio ita mutata sunt, ut omnibus in carminibus auctor inquirendus sit. Qua de causa G., qui stilum artemque metricam Leonidae Tarentini in epigrammatis inveniri posse negat, omnia illa epigrammata 658—664 a Tarentino abiudicavit. Sed ut in VII 662 ita in aliis epigrammatis, quae Tarentinum composuisse constat, versus facit. (De initio versus quinti cf. p. 25.) Genus dicendi etiam Tarentino proprium esse mihi videtur; nam voci *ποθέουσα* (v. 3) eadem in sede versus quinti *παθοῦσα* respondet, nescio an adiectivo *τελεῆς* (nam id legendum esse Stadtmuellero assentior) *ἡλικιῆς* similis soni causa succedat; ut rem tristem sono pingeret, auctor in versu altero vocales *η* saepe posuit; adiectivum *δειλαίη* eleganter in principio versus tertii collocatum est. Quibus e causis VII 662 Leonidae Tarentino tribuo.

Index I.

A. Leonidae epigrammata ad Anthologiam referuntur.

ed. G.	A. P.	G.	A. P.	G.	A. P.	G.	A. P.	G.	A. P.
1	VI 129	21	IX 24	41	VI 211	61	IX 99	81	VI 296
2	131	22	VII 35	42	XVI 306	62	563	82	204
3	VII 283	23	719	43	VII 440	63	VI 110	83	205
4	652	24	13	44	IX 25	64	263	84	4
5	654	25	19	45	VI 200	65	221	85	VII 295
6	273	26	XVI 206	46	202	66	262	86	504
7	266	27	IX 719	47	XVI 190	67	IX 335	87	506
8	264	28	XVI 307	48	261	68	VI 355	88	VI 298
9	665	29	182	49	236	69	226	89	305
10	503	30	IX 179	50	X 1	70	IX 318	90	300
11	163	31	VII 478	51	VII 198	71	VI 188	91	VII 736
12	656	32	480	52	VI 120	72	154	92	648
13	463	33	VI 293	53	334	73	13	93	731
14	466	34	VII 455	54	IX 326	74	286	94	67
15	452	35	422	55	329	75	228	95	VI 302
16	655	36	448	56	XVI 230	76	VII 726	96	Stob. fl. 120,9
17	740	37	449	57	IX 316	77	V 205	97	VII 472
18	IX 322	38	VI 281	58	337	78	VI 289	98	VII 472
19	V 187	39	VII 316	59	XII 657	79	309		
20	IX 320	40	408	60	IX 744	80	35		

B. Callimachi et Theocriti epigrammata ad Anthologiam referuntur.

Callimachus						Theocritus	
ed. W.	A. P.	ed. W.	A. P.	ed. W.	A. P.	ed. W.	A. P.
1	VII 89	7	IX 565	14	VII 519	1	VI 336
2	80	8	566	15	522	2	177
(3)	318	9	VII 451	16	459	3	IX 338
4	317	10	520	17	271	4	437
5	Athen. VII 318	11	447	18	272	7	VII 659
		12	521	19	453	8	VI 337
6	Strab. XIV 638	13	524	20	517	9	VII 660

Callimachus						Theocritus	
ed. W.	A. P.	ed. W.	A. P.	ed. W.	A. P.	ed. W.	A. P.
21	VII 525	35	VII 415	50	VII 458	10	VI 338
22	518	37	XIII 7	51	V 145	11	VII 661
23	471	38	24	52	XII 230	13	VI 340
24	IX 336	39	25	53	VI 146	14	IX 435
25	V 6	40	VII 728	54	147	15	VII 658
26	VII 460	41	XII 73	55	148	16	662
27	IX 507	42	118	56	149	17	IX 599
28	XII 43	43	134	57	150	18	600
29	51	44	XII 139	58	VII 277	19	XIII 3
30	71	45	149	59	XI 362	20	VII 663
31	102	46	150	60	VII 523	21	664
32	148	47	VI 301	61	725	22	IX 598
33	VI 347	48	310	62	VI 121	24	436
34	351	49	311	63	V 23		

Index II.

Res tractatae.

Index III.

Ictus alia in syllaba vocis repetitae positus est.

Vide p. 43 sqq.

Asclepiades V 166, 3, 4; IX 63, 3; XII 46, 2, 3; 105, 4; 163, 1; XII, 163, 2, 4; 166, 5; XIII 23, 5.

Callimachus VII 728, 3; IX 336, 2; XII 51, 3, 4; 71, 1; 71, 2, 5; 134, 6.

Leonidas Tar. V 187, 3; 187, 5; VI 13, 3; 129, 1; 154, 2, 5, 7; 188, 3, 6; 221, 7; 226, 1, 4; 305, 4, 5; 305, 7; VII 13, 3, 4; 19, 1, 2; 295, 1, 2; 463, 1, 2; 472, 3; 472, 4; 504, 1, 2; 652, 1, 7; 654, 2; 736, 2; 740, 3, 5; 740, 6; IX 316, 1, 2; 320, 1, 5; 335, 4; XVI 206, 3.

Index IV.

Alliteratio.

Cf. p. 54 sqq.

Anyte VI 153; 3; VII 202, 1 — Bacchyl. VI 313, 1.

Asclepiades V 84, 3; 180, 9; 184, 3; XII 46, 1; 46, 4; 50, 1; 135, 1.

Callimachus V 145, 1; VI 146, 2; 149, 4; XII 118, 1; 139, 1; 149, 2.

Leonid. Tar. V 205, 3; VI 4, 1; 13, 1; 13, 2; 129, 2; 204, 2; 205, 6; VII 163, 1 163, 4; 283, 1; 295, 1; 449, 1; 652, 1; 719, 2; 731, 4; IX 322, 4; 337, 4.

Nossis VI 275, 4 — Plato? VII 100, 2 — Poseid. V 182, 1.

Theocritus VII 659, 2; IX 437, 16; 598, 1; 599, 3.

Index V.

Anaphora.

Vide p. 39 sqq.

Asclepiades V 184, 3, 5, 6; XII 50, 1, 5 (7); 132, 2, 3; 166, 5, 6.

Callimachus V 6, 1, 3; 23, 1, 3.

Leonidas V 205, 1, 3; VI 13, 6; 35, 3, 6; 226, 1, 3; 289, 3, 4, 5; VI 305, 1, 7; 305, 4, 5, 6; 335, 2, 3; VII 163, 1, 3; 408, 3, 4; 440, 5, 7, 9; VII 463, 1, 2; 466, 1, 7; 480, 1, 3; 726, 3, 5; 736, 1, 3; 736, 5, 7; VII 740, 3, 5; IX 320, 1, 4; 326, 1, 3; 326, 2, 5; XVI 182, 5, 6.

Index VI.

Ultima syllaba prioris hemistichii pentametri est eadem atque prima posterioris in his epigrammatis:

Asclep. V 206, 4; Call. V 145, 4; Leon. VI 205, 8 (226, 2); 334, 6; IX 322, 2.

Ultima syllaba prioris hemistichii pentametri est similis primae posterioris in his epigrammatis:

Anyte VII 215, 6; Asclep. V 163, 2; Call. V 23, 2 (4); Hedyl. V 198, 6; VI 292, 6; Leon. VI 120, 8; 300, 6; 334, 4; ox. pap. IV 662, 4 (IX 99, 6), (Mnasalc. VI 268, 2); Nossis VI 275, 2 (Theocr. VI 336, 2).

Index VII.

Homoioteleuton in exitibus hemistichiorum v. pent.

NB. Numeris, qui in hoc atque in sequenti indice scripti sunt, indicatur, quot versus e centum versibus (%) collocationem tractatam praebeant.

Anyte	20	Mnasalc.	10
Asclep.	11	Nicias	33
(Bacchyl.	25)	Nossis	9
Callim.	10	Poseid.	11
Hedyl.	18	Simmias	11
Leon. T.	21	Theocritus	8

cf. p. 53. Hoc in indice numeri ad 100 pentametros spectant.

Index VIII.

In legibus Guilelmi Meyer poetae temere peccaverunt.

	Leges				Numerus
	I.	II.	III.	IV.	vers. hexamet.
Anyte	—	7,5	2,5	2,5	41
Asclep.	7,5	11	1,2	11	83
Call.	0,7	0,7	—	—	134
Hedyl.	6	3	3	3	34
Leon.	0,7	2,8	—	1,4	292
Mnas.	—	5	—	2,5	38
Nicias	—	—	—	17	18
Nossis	—	—	—	5	22
Poseid.	—	1,7	1,7	3,4	60
Simm.	—	—	5	1,6	19
Theocr.	2,5	7,5	5	7,5	39

In I, II, III numeri ad 100 hexametros, in IV ad 100 pentametros spectant.

Vita.

Natus sum Bernhardus Carolus Rudolphus Hansen die septimo decimo mensis Quinctilis a. 1890 Lipsiae patre Guilelmo matre Helena e gente Scheller, quos inter vivos esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Elementis literarum imbutus a. 1900 schola Thomana rectore Jungmanno receptus sum. Examine maturitatis superato vere anni h. s. IX Lipsiae bis sex menses studiis philologis et historicis me dedidi. Vere anni h. s. X Kiliam Holsatorum, hieme eiusdem anni Berolinum me contuli, unde vere anni XI reverti, ut in urbe natali philologiae operam darem. — Proseminariis philologis interfui Lipsiae Bethii, Heinzii, Martinii, Suessii, Kiliae Bickeli, Berolini Meisteri; seminarii philologi sodalis fui per duo semestria moderantibus Lipsio, Bethio, Heinzio. — In seminarium historicum me receperunt Beloch, Wilcken. Ad seminarium paedagogicum me admisit Jungmann, ad exercitationes archaeologicas Schreiber †. Docuerunt me viri illustrissimi Beloch, Bethe, Bickel, Brandenburg, Breysig, Brugmann, Delbrueck, M. Heinze †, R. Heinze, Jacoby, Jungmann, Lipsius, Martini, Muench †, Norden, Sauer, Schreiber †, Schulze, Studniczka, Sudhaus, Suess, Volkelt, Volquardsen, v. Wilamowitz-Moellendorff, Wilcken.

Cum omnibus eis viris humanissimis gratiam habeo maximam tum Erico Bethe, qui hoc in opusculo perficiendo consilio auxilioque liberaliter me adiuvit.

Denique carissimis cum sodalibus in philologorum thiaso Lipsiensi me coniunctum fuisse laetus profiteor.